



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtvte
Et Statv Religionis**

Qvo Quid Contineatvr, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Liber Tertivs. De admissione scholarium in Societatem per vota simplicia,
eorumque dimissione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



LIBER TERTIVS.

De admissione scholarium in Societatem per vota simplicia, eorumque dimissione.



Proprium, ac peculiare est Societatis inter omnes religiones, ut inter receptionem ad habitum, & ad professionem solennem, habeat medium quandam admittendi modum, per quē is, qui admittitur extra gradū nouitiorum constituitur, & religioni vnitur, tanquam verum membrum eius, verusque religiosus; & nihilominus non constituitur in vltimo termino perfectę vnionis, quam cū corpore Societatis habere potest, sed adhuc in ordine ad illum aliquo modo in probatione manet. Qui modus admissionis propter scholasticos præcipuē inuentus est; extenditur tamen etiam ad coadiutores temporales, qui ad scholares ipsos iuandos recipiuntur, & quamuis in ministeriis differant, in substantia, & modo huius receptionis, & votorum, quæ in illa sunt, eiusdem omnino rationis sunt, & ita sub illis comprehenduntur, tanquam accessorium sub principali. Hic igitur receptionis modus multis modis impugnatus est, & tanquam nouus, & tanquam iniustus, & insufficiens ad religiosum constituendum. Vt ergo plene omnibus satisficiamus, conuenientiam huius institutionis, & essentiam, & quasi quidditatem huius receptionis, & vim votorum eius, causas denique, effectus, & proprietates eius explicabimus.

CAPVT I.

Proponuntur rationes dubitandi circa admissionem scholarium in Societatem.

I. *Prim. dubi.* In hac admissione nouitiorum ad gradū scholarium per vota simplicia, Prima ratio dubitandi est, quia vel in hac admissione persona se tradit Societati eiq; se deuouet, & ab ea admittitur, vel nō, sed solum simpliciter talia vota emittit. Si primum dicatur, nihil deest ad perfectam professionem religiosam, quia de substantia huius professionis, duo tantum sunt, scilicet traditio acceptata cum tribus votis substantialibus, vt supra ostensum est. Si verō dicatur secundum, illa non est vnio cū religione, quia vbi non est contractus mutus dandi, & acceptandi, non potest esse vera vnio moralis, quæ constituat vnum corpus politicum, & efficiat verum, & stabile membrum: non videtur ergo possibilis talis modus vnionis, medius inter nouitiatum, & professionem. Dicitur fortasse, dari quidem traditionem, & acceptionem, sed nō reciprocam, quia obligat simpliciter eum, qui se tradit, non tamen religionem, sed solum quandiu illum retinere voluerit. Contra hoc verō suboritur secunda ratio dubitandi; quia hinc sequitur talem modū receptionis esse illicitū, atque iniustum. Probatur sequela, quia iustitia con-

tractus postulat æqualitatem ex vtraque parte: hic autē inuenitur maxima inæqualitas, quia receptus in Societate, manet obligatus ex se ad perpetuū vitendum, & moriendum in illa, eique seruendum: ipsa verō Societas non se obligat ad perpetuū retinendum illum, est ergo iniustitia in tali contractu, & ideo Doctores communiter in c. *port. etum. de regul. Nauar.* & alij, quos superiori tom. retuli agentes de professione religiosa, in hoc conueniunt, quod professio religiosa, vt debito modo fiat, debet continere contractum, & obligationē reciprocam inter religiosum, & religionē. Tertiō etiam talis receptio esset licita, non videtur expediens, nec religioni accommodata. Primō quidem, quia talis viuendi modus, non potest esse stabilis, ac perpetuus, quod maxime necessarium est ad vitam religiosam. Deinde quia ex illo sequi possunt multa inconuenientia, & quæ scandalū generare possunt, quale est, quod persona, semel Deo dicata ad seculum facile reuertatur, & negotiis secularib; etiam in statu coniugij omnino tradatur contra regulā 51. *Semel Deo dicatū, non est ad vsus humanos vltimus transferendum.* de regul. iur. in 6. Item ex parte personarum ingredientium possunt esse multe fraudes, vt si post vota liberius viuant, vt liberi dimittantur, vel quod grauius est, si à principio eo animo ingrediatur, & sic se voueat, solum vt bonis, & commodis religionis quoad studia, vel alia huiusmodi aliquibus annis frui possint, & postea sic viuere, vel occasionem querere, vt liberi dimittantur. Ex parte etiam religionis possunt iniustitia interuenire, ex odio, vel alio humano respectu, aliquos dimittendo, vel certē ex nimio affectu ad commodum religionis, innocentem dimittendo, quia fortē in aegritudinem incidit. Quæ omnia pericula attentē considerata auertere possunt homines ab affectu ingrediendi hanc religionem; ergo omnibus consideratis, nec simpliciter, nec religioni talis modus admissionis expediens est.

Necessarium esse admitti in Societate iuuenes, quibus bonis literis imbuantur antequam ad Societatis ministeria applicentur.

Vt veritatem exponamus, suppono imprimis id, quod per se notum est, & infra lib. 5. tractabitur, necessarium fuisse in hac religione ad vtilitatē, & conseruationem eius recipi iuuenes, qui ad ministeria Societatis optimis literis in ea prius imbuantur, quā ad eius ministeria applicentur. Cuius rei ratio optimē traditur in initio 4. p. constit. liter. A. Et ideo solum oportebit verba illa referre; Atque imprimis ex fine Societatis colligitur, & necessarium, & rationi consentaneum esse, vt qui in eam sunt ingressi, (scilicet in Societate professam, seu ad eius ministeria, quasi ex officio, & propria obligatione peragenda) *viui sint vite probitate, & literarum et uisionis ad id officij idonei.* Deinde verō optimē subiungitur; *Et quia boni simul & eruditi pauci inueniuntur, si cum alijs comparentur, & ex paucis maior pars iam a susceptis laboribus*

*Tertiā au-
multiplici
incommodo.*

II.

*Prim. s. p. i.
posita pro
resolutione
difficultatū
adductarū.*

*Ratione sua-
detur ex 4. p.
constit. in
principio.*

velis

velit conquisire, per difficile fore comprehendimus, huiusmodi hominibus, qui boni simul, ac literati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos eius institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem, id. o nobis omnibus, qui conseruationem, & incrementum eius ad maiorem laudem, & obsequium Dei, ac D. Nostri cepimus, alia via tenenda esse visa est: admissendi nimirum iuuenes, qui bonorum morum, & ingeniorum indole spiritum facerent, quod in probos simul, ac doctos viros, ad colendam Christi Domini N. vineam essent eius sui admittendi etiam in collegia, cum in conditionibus, quae in iterum Apostolicum continentur, siue in vniuersitatibus, siue extra illas fuerint, & quidem si in vniuersitatibus, siue illa Societatis cura commissae sint, siue non. Hac enim ratione nobis in Domino persuademus ad maius diuina maiestatem obsequium fore, si & numero augeretur, & in literis, ac virtutibus progressum faciant ij, qui eidem obsequio se totos impendant.

III.

Hanc consuetudinem suauiter educandi antiquissimam esse monstratur.

Nec solum ratio, & euidentis necessitas, sed etiam antiqua Ecclesiae consuetudo Ignatium, & Societatem docuit hoc modo educare, & instituere iuuentutem, quae ad spiritualia ministeria proximorum salutis necessaria, idonea postea existeret. Diximus enim saepe Societatem esse religionem Clericorum, aut presbyterorum, fuit autem olim, iuxta primitiuam Ecclesiam obseruatum, ut in Diocesis, seu locis Episcoporum, domus aliqua essent specialiter deputatae ad iuuenes in virtute, & literis educandos, ex quibus postea possent boni Clerici, & Ecclesiae utiles ordinari, ut intelligi potest ex Concilio Tolet. II. cap. I. & habetur d. 28. cap. 5. ubi sic dicitur. De his quos voluntas parentum à primis infantia annis clericatus officio mancipauit, statim obseruandum, ut mox de tonsura, vel ministerio doctorum traditi, in domo Ecclesiae sub Episcopali praesentia, à praeposito sibi debeant erudiri. Idem habetur ex Concilio Tolet. IV. cap. 23. quod est apud Gratianum cap. I. 12. q. 1. Omnis (inquit) aetas ab adolescentia ad malum prona est, nihil enim incertius quam vita adolescentium: ob hoc constituitur oportuit, ut si quis in Clero impuberes, aut adulescentes existant, omnes in vno conuictus atrijs maneant, ut lubrica aetatis annos non in luxuria, sed in disciplina Ecclesiastica agant, deputati denotissimo seniori, &c. Idem fere habetur in Concilio Aquigran. cap. 135. Quem morem iuuare studuit Concilium Lateranense sub Alexand. III. p. 1. cap. 18. Et aliud Lateranense sub Innocentio III. cap. 11. Et aliud sub Leone X. cap. 9. de reformatione Curiae. Et tandem Concilium Tridentinum 23. cap. 18. Ad huius ergo sanctae consuetudinis imitationem, Societas scholarium gradum introduxit, tamquam necessarium seminarium ad eos ministros instituendos, qui pro dignitate Societati ad finem suum inferuire possint. Quo enim presbyteri Societatis, ex vi sui instituti, & vi professionis ad perfectionem sacerdotalem (ut sic dicam) magis obligantur, eo perfectiori etiam indigent educatione, & institutione à iuuentute sua.

Conueniens, ac necessarium fuisse huiusmodi scholares Societati per tria vota esse substantialiter coniunctos.

IV.

Secunda suppositio.

Secundò supponendum est, cōuenientissimum, ac moraliter necessarium fuisse, ut hi scholares substantialiter essent Societati coniuncti, per veram vniōnem moralem cum illa, & per tria substantialia vota religionis, ut cum pollicitatione sese amplius coniungendi cum illa, velleam profitendi, quando, & quomodo iuberentur. Hoc constat ex Constitutionibus, & bullis Pontificiis, hunc gradum tanquā Societati intrinsecum, eique maximè necessarium approbantibus, ut cap. 3. videbimus; quod etiam ratione, & exemplo facile ostendi potest. Ratio qui-

dem, quia & ad spirituale bonum ipsorum religionis, & ad finem, & conseruationem Societatis, hoc erat necessarium. Primum patet, quia ad perfectionem talium personarum necessarium erat, ut à principio Deo dicarentur, & ad perfectionem sequequendam obligarentur; alioqui si vsque ad finem studiorum hoc differretur, & ipsi magnis commodis spiritualibus, & gratis priuarentur, & periculo facillimè mutabilitatis exponerentur. Ex parte itē Societatis, erat euidentis necessitas, quia nisi ex parte studentium esset obligatio manendi in illa, suo fine, & laboribus fere frustraretur: nam complures post studia discederent, si hoc esset positum in libera eorum voluntate, Inique autem (ait Greg. XIII. in Constitutione, Ascendente Domino) cum Societas geratur, si viri multo labore ad ardua ministeria eruditissimi, religionis catholicae, & huius sedis detrimentum priuarent. Et è conuerso pauci essent, verum desiderium religionis si status habentes, qui tanto tempore, sine illo statu permanere vellent. Deinde vix possent conuenienter gubernari, nisi votum obedientiae, & pauperum haberent, & innumera incommoda, & magna confusio sequi posset; quantum autem votum castitatis expediat, per se notum est. Denique cum huiusmodi scholares approbati, in vitam debeant habere communicationem cum reliquis membris Societatis in victu, familiaritate, totiusque vitae communitate, monstruosum esset, & indecens, si omnia haec membra non haberent inter se substantiali vniōnem religionis status. Quapropter, cum in Constitutionibus Societatis p. 3. cap. 3. liter. B. declaratum sit, non repugnare instituto nostro, ex licentia Praepositi Generalis, & ad tempus aliquos pauperes scholasticos in Collegiis Societatis admittere, quamuis intra Societatem verè non recipiantur, neque ipsi promittant ipsam ingredi, statim adiungitur, & vestitus rationem in eis futuram esse diuersam, & habitationem separatam, ita ut quietitudo Societatis sequatur, seorsim, & non commisti aliis externis maneant. Dices, cur non poterat hoc modo educari omnes scholares Societatis? Respondeo propter rationes factas, non potuisse esse generalis regulae, neque educatio illa esset cum tanto affectu, & vniōne charitatis, tam ipsorum ad religionem, quam religionis ad ipsos: ex quadam vero, veluti dispensatione, id in casu aliquo permittitur, quando ex parte ipsorum non esset voluntas ingrediendi Societatem, & ob alias causas indicaretur ad maius Dei obsequium expedire aliquos ingenuos adolescentes ita educare. Sicut autem illa permissio specialis est & per se non expediens, ita eius usus rarissimus est, aut certe nullus & experientia ipsa docuit, quando similis necessitas occurrat, melius in separata domo, & peculiari collegio id fieri, quamvis sub cura Societatis existat, ut videmus Romae auctoritate Summorum Pontificum & aliis locis fieri.

Tandem, non deest huius institutionis proportionale exemplum ex antiquitate desumptum. Nā in dicto Concilio Tolet. II. & cap. De his 28. d. de iis minoribus clericis, qui in seminario Episcopali educabantur, dicitur, cum ad 18. aetatis annum perueniebant interrogandos fuisse, an vellent celibatū seruare, quod si permanere volebant, promittebant castitatem, ut illo vinculo quasi obligati ad clericatum manerent. Sicut etiam in Concilio Carthaginiensi 19. dicitur, Lectores cum ad annos pubertatis peruenirent, cogantur aut viros ducere, aut conuentum proficisci. Hac etiam ratione in Concilio illo Tolet. II. cap. 2. statuatum est, ne clerici ab vno Episcopo in suo collegio, seu seminario nutriti, ab alio Episcopo in sua Ecclesia recipiantur: Quia durum est (inquit Concilium) eum quem alius sensu, & squalore infansia exurit, alius proficere, ac vendicare praeparat. Volebant ergo antiqua de-

ereta, ac meritis, huiusmodi clericos esse additos illi Ecclesie, in qua, & pro qua educabantur. Ad huc ergo modum se habet Societas circa scholares suos; & eodem consilio ordinantur Pontifices, ut scholares approbati in Societate ad nullam aliam religionem transire possint, excepto Carthusiensium ordine, quod commune est etiam professis; de quo infra lib. II. c. 2. dicendum est. Potest etiam in huius rei exemplum adduci id, quod nunc videmus à Pontificibus observari in his seminariis, quæ ad educandos presbyteros doctos, & catholicos diuersarum nationum, ad expugnandas hæreses in eis exortas, erexerunt: non enim aliter (quod sciam) eos admittunt, nisi prius voto, vel iuramento præfinito suscipiendi sacros ordines, & in suis regnis, vel Prouinciis pro fide catholica, & animarum conuersione laborandi, & ministeria sacerdotalia exercendi, quia aliàs ferè nullus fructus ex eo labore, & expensis probabili certitudine sperari posset. Ita ergo seruata proportione necessaria fuit in Societate obligatio ex parte scholasticorum, eam verò oportuit fieri modo religioni accommodato, atque adeo per substantialia vota, & intimam religiosam vnionem cum Societate ipsa.

Obligatio nem per prædicta vota non esse mutuum.

VI. Tercio supponendum est, hæc vota ita fieri in Societate, ut ex parte vouentis sint ex intentione se obligandi in perpetuum, ad viuendum, & moriendum in hac religione sub obedientia eius; ex parte verò religionis solum admittantur acceptatio traditionem, & obligationem ipsius vouentis, non tamen se obligando ad semper retinendum ipsum vouentem, aut vota eius, sed solum quantum Præpositus Generalis in Societate euenire consuevit. Virumque est manifestum, ac sæpius repetitum in Constitutionibus, ac bullis Societatis. Nam quod ad primū attinet, nihil magis ab scholasticis approbatis, vel à nouitiis expleto biennio, ut in illum gradum admittantur, postulat, quam ut firmiter propositū habeant viuendi, & moriendi in Societate. Vnde in cap. 3. Exam. §. 13. primū interrogatur nouitius, an omnino de reuerit seculum relinquere, & consilia Domini nostri Iesu Christi sequi. Et statim §. 14. Num deliberatum habeat animi propositum viuendi, & moriendi in Domino, cum hac, & in hac Societate IESU Christi Creatoris, ac Dominus nostri. Et rursus c. 7. §. 5. An statuerit omnino apud se studium absolutum, ac probationibus prædictæ Societatis ad viuendum in ea, & moriendum ingredi. Et infra numer. 7. & 8. hæc stabilitas sæpius examinanda dicitur. Deinde idem constat ex ipsa forma vouendi tria vota substantialia; atque ingressum in Societatem, ut vitam in ea perpetuo degant, iam formati, aut professi, ut constat ex p. 5. Const. cap. 4. §. 4. quæ vota ad maius meritum, & stabilitatem emitti dicuntur in Exam. cap. 7. in principio. Denique nihil frequentius in Constitutionibus repetitur, & rationes, quibus paulo ante in 2. suppositione probatum est, necessarium fuisse scholares approbati, & admitti in Societate sub obligatione, probant etiam talem obligationem debuisse esse perpetuam, alioqui non vitarentur incommoda, quæ ibi dicta sunt.

VII. Altera item pars, quod Societas ex parte sua, non absolute obligetur, expressè habetur in Examine cap. 7. & §. p. c. 4. lit. D. & his verbis ponitur in Constitutione, Ascendente Domino. Greg. XIII. vbi cum sermo sit de scholaribus, dicitur, Quod autem istæ partes ipsorum, perpetuo: ex parte vero Societatis iuxta Apostolicam indultam, & constitutiones prædictas tamdiu obligati sunt, quandiu Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse iudicauerit. Et ideo §. p. Const. cap. 4. de his scho-

laribus dicitur, Qui per alia sua prior probatione, & experimentum, per biennium in scholasticis approbati admittuntur, coram aliquibus domesticis, quamvis non in manibus cuiusquam, vota sua emittant, &c. Vbi in declaratione ita explicantur illa verba; Non in manibus, usquam: ut hoc votum soli Deo offeratur & non homini, ita nemo id admittit, propterea in nullis manibus fieri dicitur.

Quæ verba obscuriora sunt, & egent expositione, quæ iterum in cap. 5. ad finem recolenda erit. Nam certum est hæc vota fieri aliquo modo in manibus Prælati Societatis, multumque in hoc differre à votis, quæ nouitiis suo arbitrio facere potest, & sæpe facit, & repetit etiam publicè, & in præsentia multorum, iuxta easdem Constitutiones Societatis in Examine c. 1. & §. p. Const. cap. 1. lit. F. vbi etiam declaratur, talia vota non fieri in manibus cuiusquam, neque admitti, quod longe aliter, quam de votis scholasticorum approbatorum necesse est intelligi. Quia negari etiam non potest, quin hæc vota scholasticorum, aliquo modo, à Societate admittantur, alioqui non verè cum illa vnirentur. Et ideo in §. p. Const. cap. 1. dicitur, Quia scholasticus approbatus etiam modo quodam interiori, quam admissi ad probationem, in corpus Societatis coaptantur, de eorum quoque admissione in hac §. p. dicitur. Inscriptum autem illa pars Deum, quæ ad admittendum in corpus Societatis pertinent. Vbi corpus Societatis sumitur, ut constat ex suis veris membris, excludendo nouitios, de quorum admissione in i. p. dictum fuerat. Ergo necesse est, ut scholastici ab ipsa Societate admittantur in vera membra eius, quod non fit, nisi per hæc vota. Vnde si talia vota, etiam post biennium fiant coram aliquo, qui potestatem non habeat admittendi illa, non habent vim incorporandi in Societate, neque efficiunt scholarem approbatum, nec denique efficiunt vota Societatis. Necessaria ergo est aliqua admissio, alioqui ad quid esset necessaria potestas in admittente? In hoc ergo sensu non tantum sunt coram ipso, sed etiam in manibus eius, ut ipse possit ea acceptare. Sic enim dixit Gregor. XIII. in prædicta Constitutione, Ascendente Domino. Scholares per hæc vota se Societati dedicare atque actu vt adere; quod impossibile est fieri, nisi in manibus alicuius illa emittant. In prædicta igitur constitutione dicuntur hæc vota non fieri in manibus alicuius, qui ita illa acceptet, vel recipiat, ut Societatem obliget ad ea semper in suo valore retinenda, & conseruanda. Et eodem sensu dicitur in declaratione neminem talia vota admittere; scilicet, ut absolute perpetua sint, sed solum sub conditione subintellecta, si Societas huiusmodi personas retinere velit, ut ibidem dicitur. Quam conditionem latius cap. sequent. à numer. 3. explicatur sumus.

CAPVT II.

Concluditur licitum ac sanctum esse receptionis modum, quo scholastici in Societatem admittuntur: ac rationibus dubitandi in contrarium satisfit.

EX his ergo colligimus in primis possibilem fuisse in Societate modum aliquem admittendi huiusmodi scholares in corpus suum, quo verè illi vniantur, tanquam vera membra eius, medium statum habentia inter nouitiatum, & gradum professorum. Quia hæc vota, quæ explicuimus, seu receptio, quæ per illam fit, extrahit personas à gradu nouitiorum, nam hi nondum sunt membra corpori religionis verè vnita: scholares autem per hanc admissionem verè efficiuntur membra, cum tamen constet ex eodem modo, quo admittuntur illos

I. Prima conclusio.

illos non esse professos, neque vltimatè (vt sic dicà) coniunctos, & vnitos Societati, pro vt illi coniungi possunt. Atque in hoc fatemur esse differentiam inter Societatem, & alias religiones. Id enim expresse dixit Gregor. XIII. in dicta Constitutione, *Ascendente Domino. Quoniam Societas (ait) non solum nouit, & profestis, vt reliquæ regulares, constat.* Atque ita responsum est ad primam rationem dubitandi. Concedimus enim in hoc genere vnionis personam, quantum est ex se, perfectè se tradere, admitti verò, non simpliciter, sed cum illo addito, & conditione subintellecta si Societas eiusmodi personam retinendam iudicauerit.

II.
Secunda conclusio bimbris probatur ex Pontificibus.

Secundò verò addimus, hoc genus receptionis licitum, & sanctum esse, tam ex parte religiosi, quàm ex parte religionis. Ad huius veritatis probationem, sufficiebat hoc genus receptionis esse approbatum à multis Summis Pontificibus, non solum generatim, & quasi confuse, quatenus approbantur constitutiones, sed distinctè, & in particulari declaratione inter ea, quæ ad substantiam instituti multum pertinent, vt videre licet in bulla Confirmationis Iulij III. vbi de votis scholarum dicitur, *Quibus teneantur, quandiu Prepositum Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit.* Latius verò id habetur in dicta Constitutione Gregorij, *Ascendente Domino*, cuius verba ex parte retulimus cap. præced. numer. 7. & plura statim referemus. Nihilominus tamen necessarium est, ratione hoc ostendere, & obiectioni secundæ in cap. præced. satisfacere. Primum ergo quod ex parte ipsius religiosi talis contractus, seu oblatio licita sit, manifestum est, neque ex hac parte aliquid contra illam obicitur; quia religiosus nulli facit iniuriam, neque in aliquem alium contra charitatem, aut aliam virtutem operatur, neque etiam in se ipsum, tum quia est sui iuris, & potest de sua libertate disponere, vt voluerit, cum alioqui propter bonum finem, & in officium de se sanctum, & in cultum Dei se offerat. Tum etiam, quia licet quandam sui traditionem, & obligationem nimis liberalem facere videatur, totam illam facit in obsequium Dei, respectu cuius nulla liberalitas potest esse nimia. Vnde tantum abest, vt ex hac parte hæc obligatio sit illicita ei, qui se offert, vt potius ex eodem capite videatur excedere aliam professionem, quæ reciproca est: nam in illa quodammodo minus est liberalis oblatio, cum ex alia parte quædam recompensatio respondere videatur, non tamen propter ea hanc vnionem solenni professioni præferimus, quia cætera non sunt paria, sed solum aduertimus, ex hac parte habere excellentiam quandam singularem.

III.
Ostenditur deinde postea membris ex Pontificibus.

Item ex ratione triparsita.

Ex parte verò religionis etiam hoc esse licitum, his verbis breuiter probatur in dicta constitutione, *Ascendente Domino.* Quod ad Societatis conseruationem maxime est necessarium, idque ab illius exordio prouersum, & post experientia comprobatum est, idque initio ingressus, illis explicitè manifestatur, atque ipsi conditionem hanc amplectuntur, quæ eis (si quos dimittere oporteat) multo est commodior, vt libere potius, quàm votis obligati dimittantur, aliisque iustis, & rationabilibus de causis. In quibus verbis plures rationes insinuantur, quas omnes ad vniam sub hac forma reducere possumus: si hoc esset illicitum Societati, aut esset contra iustitiam commutatiuum respectu religiosi, aut contra charitatem, aut contra commune bonum, quod respicit etiam charitas, vel iustitia legalis; nihil horum dici potest, vel cum minima probabilitate; ergo. Maior continet sufficientem partitionem, nec video aliud membrum, quod excogitari possit.

IV.
Prima pars huius rationis.

Minor quoad primam partem de iustitia, probatur in prædictis verbis; quia scienti, & volenti non fit iniuria: in præfenti autem religiosus sciens, & vi-

dens vult item contrahere, & se donare, & ad hunc finem tanto tempore examinatur, & ei distinctè proponitur ad quid, & quomodo obligandus sit, & tam multiplex consideratio, & repetita lectio instituit, & diplomatum illi imperatur; quæ igitur iniuria ex parte Societatis interuenire potest? Et confirmatur: nam in rebus humanis, ac temporalibus possunt fieri similes contractus cum magna æquitate iustitiæ, cur ergo non in spiritualibus? Antecedens patet, nam secluso iure prohibente potest se aliquis donare alicui in seruum, qua donatione facta, non potest ipse retrocedere, aut se eximere à seruitute: alius verò potest illum manumittere: vnde quandiu illum apud se retinet, & in suum commodum illo utitur, illum alere tenetur, vel ex pacto implicito, vel ex ipso iure naturali: si autem illum semel manumittat, sicut vnus liberatur obligatione seruendi, ita & alter alendi, in quo contractu euidenter est, non esse iniustitiam. Quia in ea parte, in qua videtur esse inequalitas, scilicet, quod vnus obligatur ad non subterfugendum, & alter non obligatur ad retinendum; in hac (inquam) parte contractus non est per modum commutationis, sed per modum simplicis donationis ex altera parte: quia (vt supponitur) ille voluntariè se donat in seruum. Adde insuper, etiam si seruitus contrahatur, per modum commutationis posse esse, & concurrere tales circumstantias, vt etiam in ea, quæ videtur inequalitas, summa æqualitas rei ad rem seruetur. Nam si seruitus ipsa in maius commodum serui cedat, quàm Domini, maioremque vtilitatem illi afferat, cur non poterit ille excessus compensari maiori quadam obligatione ex parte serui? Sic enim in contractu emptionis, & venditionis, aliquando obligatur emptor ad iterum vendendum, si alius velit. Sic verò non obligatur ad emendum, etiam si alius velit vendere, & tamen non est inequalitas, si tantumdem de pretio rei minuat, quanti obligatio illa maior æstimabilis est. Ita ergo facile intelligi nostrum intentum potest in illo exemplo seruatiuitatis. Hæc enim omnia simul in hoc quali contractu Societatis concurrunt. Nam in primis contractus est verimque voluntarius, & cum perfecta scientia; deinde ex parte religiosi, est magis liberalis quædam traditio sui, quàm commutatio, & ipsa Societas satis expresse declarat se nolle acceptare personam talem, sibi donatam, nisi sub ea conditione, vt possit eam dimittere, cum expedierit. Denique hæc ipsa acceptatio hoc modo facta est non solum æqualis, sed etiam maius bonum respectu religiosi, quàm sit commoda eius traditio ipsi religioni. Nulla ergo ratio iniustitiæ hic excogitari potest, præsertim, quia licet Societas non obligetur speciali, & absoluta obligatione ad scholarem approbatum perpetuo retinendum, obligatur nihilominus ad non dimittendum illum sine legitima causa, siue hæc obligatio oriatur ex natura rei, ex ipso contractu, siue ex ipso instituto, de quo infra cap. vlt. dicam, & causa illa moraliter loquendo semper pendet ex voluntate ipsiusmet religiosi. Adde insuper, plures contractus humanas auctoritate legum ita claudicare, vt vnum contrahentium simpliciter obligent, & non alium, vt latè tractant Gloss. vltima, & Doctores ex textu ibi in cap. De illis, de despo. impuber. & in ca. 1. de eo qui duxit in matrimon. quam polli. per a. dult. & in leg. Iulianus. §. Si quis à pupillo, ff. de action. empti. & in §. 1. Instit. de auctor. tutor. videri etiam possunt tom. super dicta de professione tacita, vbi aliquod exemplum simile attigimus. Propter quæ omnia, meritò in compendio priuilegiarum Societatis verbo, *Votum §. 2. in dictis votis, nec contractum claudicantem, nec vllam iniustitiam reperriri dicitur.*

Altera pars de obligatione ex charitate, probatur dupli-

Secunda pars
confutatur
ratione mul-
tiplici o-
stenditur.

duplīciter, ex verbis citatis. Primò ex parte ipsius religionis, quia ad conseruationem eius necessariū est, vt hoc modo, & non aliter, scholasticos approbato recipiat: charitatis autem ordo est, vt seruetur æqualitate iustitiæ, vnusquisque consulat bono proprio magis, quàm alieno, & præsertim in spiritalibus, multo que magis si tale bonum commune sit. Hæc autem omnia in præsentī concurrunt: nam in primis probatur æquitas iustitiæ, vt ostensum est: Deinde bonum, quod in Societate conseruari intenditur, per hoc medium spirituale est, scilicet, religioſa perfectio, & puritas: item maior aptitudo, & efficacitas, ad spiritalia ministeria in vtilitatem animarum peragenda. Vnde etiam constat hoc bonum non esse priuatum, sed commune, nō solum, quia Societas ipsa communitas quadam est, cuius bonum, vel hoc solo titulo præferendum est cuiusque priuato, sed etiam quia hoc redundat in bonum vniuersale animarum, ad quod non parum spectat, quòd operarij Societatis idonei, & fideles ministri sint Euangelij. Solum restabat probandum hoc medium esse moraliter necessarium, aut valde vtile ad hoc bonum Societatis; sed hoc luce clarius est, quàm vt probatione indigeat, & in citatis verbis diuturna experientia in probationem adducitur, quæ in re morali sufficiens argumentum est. Item adducitur in argumentum, quod à principio fuit hoc à B. Ignatio & sociis eius præuifum, & promiffum; quod etiam argumentum in re morali, non parum efficax est propter tantorum virorum sanctitatem, & prudentiam. Deinde hæc libertas Societatis eo tantum tendit, vt solum eis membris constet, quoad fieri possit, quæ ad finē Societatis apta, & idonea sint, & expurgata sit omni membro inuili, vel ad tale corpus parum apto: nihil autem est magis necessarium ad cuiuscunque corporis conseruationem & augmentum, & ad omnes suas actiones cum fructu perficiendas; ergo. Denique omnes rationes quibus infra l. 6. c. 1. ostendimus propriam Societatis professionem merito per plures annos differri, & non habere certum terminū præter sufficientem probationem personæ per diuturnam experientia, probant consequenter pertinere maximè ad bonum Societatis conseruare in se hæc libertatem, & non constringi ad retinendos eos, quos nondum habet satis probatos, non solum per biennium, sed etiam per illa diuturna experientia, quæ ad professionem necessaria sunt. Suprà etiā ostendimus in tom. præced. alias etiam religiones habere potestatem eiiciendi interdum suos professos quia ad suam conseruationem, & perfectionem erat moraliter necessarium, quia *parum fermenti totā massam corrumpit*. Quid ergo mirum quod ad conseruationem Societatis dicamus hoc medium esse moraliter conuenientissimum.

VI.
Inſtantia
iustitiæ &
dique.

Dices, etiam si absolute acceptaretur, possent dimitti quando expediret, non tamen liberi, sed suis votis ligati, sicut dimittuntur in aliis religionibus professi. Quod quidem esset onus ipsorum, qui dimittuntur, non Societatis. Ad hoc tacitè respondetur in eisdem bullis citatis, adiungendo secundam rationem: Nimirum in hac restitutione prospectū etiam esse commodum ipsorum vouentium: nam si quos dimittere oporteat præterquam quod, & literis ferè imbuti sunt, & pietatem gustarunt, multo eis commodius est, vt liberi potius, quàm obligati dimittantur; esset enim graue onus, retinere principale onus obligationis, & carere commodis Societatis. Accedit etiam, quòd quando obligatio votorum, seu obligationis manet, multo est minor facultas dimittendi, & grauissimam causam requirit in Societate autem oportebat hanc facultatem esse maiorem ad assequendum finem per hanc institutionem intentum: Sepe enim expedit aliquē di-

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

mittere, nō solum propter vicia incorrigibilia, quæ ferè sola potest esse ratio dimittendi professum, sed etiam propter difficilem naturam, vel non satis aptam aut fidam, vt ei ministeria Societatis committantur, & alias similes causas. Vnde etiam hæc impedimenta interdum sunt perpetua, quæ aut nullo modo, aut vix possunt auferri per voluntatem eius, qui dimittitur, & ideo inutile esset eum dimittere ligatum, cum non sit iterum recipiendus, etiam si probus existeret: obligare autem illum ad aliam religionem petendam per se loquendo, non erat expediens, quia nemo debet obligari ad id quod non promissit: ergo in hoc etiam iuxta charitatis legem prospectum est ipsorum vouentium commodum.

Vltima denique pars satis probata est cum præcedenti, ostensum est enim ad bonum cōmune Societatis, & consequenter etiam Ecclesiæ, seu animarum spectare, vt Societas hanc liberam retineat facultatem; ergo non potest esse contra iusticiam legalem, vel commune bonum. Quapropter licet ex vno, vel alio capite aliquod incommodum sequi videatur, vt quod aliqui titulo paupertatis ordinati, postea non sint pauperes obligatione, & statu, & tamen re ipsa indigeant, contra decentiam ordinis, vel etiam, quod multi, qui diuitias contempserunt spe religionis, postea sine diuitiis & sine religione inueniantur. Ex his (inquam,) vel similibus incommodis non est ferendum absolutum iudicium de inconuenientia rei in ordine ad commune bonum; quia nulla est ferè humana institutio, ex qua non possint aliqua incommoda sequi; vnde illud de ordinatione in Congregatione S. Ioannis Euangelistæ leuius reputatur, cum tamen ibi vtrunque detur facultas ab eo quasi pacto recedendi. Pensanda ergo sunt homini, & ab eo quod maius, & excellentius est, prudenter est iudicandum. In præsentī autem vniuersale bonum spirituale vnius religionis, quod redundat in spirituale, & generale etiam commodum totius Ecclesiæ, maioris momenti est, quàm particularia incommoda, quæ in contrarium possunt allegari, vel excogitari. Item bonum illud moraliter est certum, & per se intentum: alia verò incommoda, si qua dantur, rara sunt, & incerta, & per accidens euenientia; atque adeo solum permiffa, quando euitari non possunt. Denique bonum religionis tale est, vt moraliter alio modo subsistere non possit in Societate, propter pericula, & difficultates graues, quib. exponitur operarij ei⁹, vt sepe dicitur in bullis Pontificiis, & præsertim in dicta Constitutione, *Ascendente Domino*: at verò si qua incommoda sequi possunt, aut præueniri, & impediri, ferè semper valent, aut certè maioribus commodis etiā particularium personarum compensantur, vt iam explicabo.

Per hæc igitur secundæ obiectioni satisfactū est; & tertia etiam ferè iam est expedita: nā quæ in confirmationem secundæ assertionis dicta sunt, probant non solum hoc esse licitum, sed etiam melius, magisque expediens in hac religione. Nam quod est moraliter necessarium ad commune bonum spirituale alicuius religionis, & Ecclesiæ, simpliciter est melius, & magis expediens tali religioni, & ipsi etiā Ecclesiæ, quatenus ex tali parte constet, & quatenus eius laboribus, & operibus ad suum commodū vtitur: sed talis est institutio de qua agimus, vt declaratum est, ergo. Deinde id ostenditur discurrendo per singula incommoda, quæ proponuntur. Quod ergo in primis dicitur, talem modum viuendi non posse esse stabilem, & perpetuum, nullius momenti est: Etenim si sensus sit, non habere moralem firmitatem sufficientem ad statum humanum, falsum est: nam vt in tom. super. dixi, ad religiosum statum non est necessarium, vt causæ eius omnino sint inuariabiles, sed satis est, vt talem habeat stabilitatem, vt sine graui causâ, & per potestatem publicam

Nn

VII.

Tertia pars

VIII.

Vnde solutio
tur secundæ
ratio dubi-
tandi capituli
præcedentis.

Ad primum
incommodū
adductum in
tertia ratio-
ne dubitan-
di eiusdem
capituli.

publicam, seu in virtute eius mutari non possit: ita verò est in presenti, ut per se constet, & in seq. cap. magis explicabitur. Si verò sensus illius incommodi est, quod hic status non sit absolute perpetuus, & independens (ut ita dicam) ab humana voluntate, sic petitur principium: nam pro inconuenienti infertur illud ipsum de quo disputatur. Negamus igitur illud esse inconueniens; iam enim ostensum est, quibus rationibus expedit.

IX. Ad aliud concedimus ex hac institutione sequi, ut aliqua persona aliquando Deo dicatur, & ad eius obsequium admittatur ad seculum reuertantur, & negotiis secularibus implicantur, non tamen in eodem statu manentes, sed mutato statu, & quasi ablata forma; per quam erant res Deo consecratae: sic autem non est inconueniens rem semel Deo dicatam ad profanos usus, media tali mutatione conuerti, ut praedictum declarauimus, tractando de immutabilitate professionis, & quomodo religiosus per professionem solemnem, possit aliquando fieri non religiosus, & deinceps seculariter viuere. Neque verò hæc mutatio facile fit, cum grauem causam requirat, & non fiat sine Apostolica autoritate, & cum matura deliberatione, certè R. P. Claudius Aquaviva, qui ultra 30. annos Praepositum Generalem egit, vniuscuiusque dimissionem semel, & iterum in consultationem adducebat. Et quamuis hoc non raro accidere videatur, considerata tamen hominū fragilitate, & respectu tantae multitudinis raro accidere dici potest. Nec denique est, quod timeatur scandalum; tum quia intellecta causa, & ratione, nullū est, praesertim apud eos, qui non sunt male affecti, ut experientia nos docuit, de quorundam enim electione Societati gratulantur, providentiamque de sui ipsius hac ex parte conseruatione commendant: tum etiam, quia & maius, & verius scandalū fuisset, si Societas, aut viris se indignis abundaret, aut operarios Euangelij haberet parum exemplares, ac religiosos: & tunc etiam multo grauius eidem Societati malum fuisset, si religiosi, manentes religiosi non satis religiose viuerent, quam si aliqui religiosi esse desinunt, & seculariter viuunt; nam illud prius praeter incommoda numerata, vix esse potest sine magnis sacrilegiis, & Dei offensionibus: hoc autem posterius licet minus bonū sit, euitat maiora mala.

X. Aliud verò inconueniens, de fictionibus, quae esse possunt ex parte eorum, qui parum constantes sunt in sua vocatione, vel qui à principio non rectam intentionem habent. Hoc (inquam) licet admittatur, nullius momenti est, ad improbandam institutionem, quia hi sunt quidam hominum abusus, qui in rebus etiam sanctissimis admiscuntur. Alias improbantur religiones militares, quia multi sunt, qui non propter Dei obsequium, vel propriam perfectionem, sed propter humanum honorem, & diuitias, eas affectant. Improbantur etiam ordines Monachales, quia multi non studio perfectionis, sed ob humanā commoditatem illum statum eligere solent. Idem de Episcopis, & multis aliis dicere possemus. Adde etiam vltimus, experientia notū esse illud inconueniens raro accidere, vel fortasse nunquam, ita ut de eo satis constare possit, de interioribus autem intentionibus homines non iudicant. Et timor Dei potest hunc fictum animum impedire, quia, ut infra dicemus, & circa finem libri praecedentis attigimus, qui ita se gerit, & tunc grauitur peccat, & postea non est in conscientia tutus; neque desunt etiam moralia remedia, quibus malum hoc per disciplinam, & correctionem religiosam possit praeniri.

XI. Aliud praeterea incommodum, quod ex parte religionis, seu Praelatorum eius ponebatur, humanū etiam est, quia homines facile abutuntur potestate acceptata: sed nunquid ob eam causam non est hominibus committenda potestas ad regendam rem-

publicā necessaria? Alias nec debuisset Christus Vicarium in terris relinquere cum tanta potestate. Admodum non esse sequutum, saltem regulariter, nec fortasse in aliquo casu, de quo certò constare posset, iniuriam aliquam esse factam cum malo animo, vel sinistra intentione aliquem fuisse eiectionem; quod si fortasse aliquando ex nimio zelo aliquis excelsus commissus est, neque id est mirandum; neque est magna reprehensione dignum, cum recta intentio non desit, & providentia humana non possit aliquando non falli, qui error raro erit practicus, sed speculatiuus tantum, cum in casu dubio in fauorem religionis inclinandum sit. Et sperandum profectò est, hanc rectitudinem semper esse seruandam, tum quia non nisi cum magna consideratione, & multorum consilio, hoc fit: tum etiam quia ipsemet affectus ad propriam religionem, praeter affectum charitatis ad proximum, inclinat ad conseruandam eius membra, nec permittit aliquid ex illis abscondere, nisi vbi ad salutem totius corporis necessarium est, sicut in naturali corpore accidere videmus.

Nec denique timendum est (quod vltimo loco inferebatur) ne ob hanc causam pauci sint, qui hoc institutum profiteri velint, eo quod se exponant periculo, vel infamiae, vel paupertatis, postea dimittantur. Nam in primis diuturna etiam experientia docuit, nihil hoc impeditur, quominus hæc religio mirum in modum aucta fuerit, & praeter diuinam gratiam, praecipuam rationem exitimo fuisse, quia plus attrahit, & inuitat vitæ exemplum, & praeterea mutae charitatis vniū, & totum religiosae vitæ specimen, quam terreat timor eiectionis. Deinde, quia cum vnusquisque sibi persuadat non fore eiciendum, nisi ipse sua voluntate causam dederit, vel aliquo modo eiectioni consenserit, sicut tunc per diuinam gratiam concipiunt desiderium, & propositum viuendi, & moriendi in Societate, quantum in se est, ita ex eadem gratia concipiunt spem non deficiendi, nec dandi causam eiectionis: & ita non difficile deponunt timorem, qui eos ab ingressu deterreat, conseruant autem eum, qui illos in officio continet, & vigilare faciat, ne vnquam desint gratiae Dei. Adde praeterea, si quid periculi alicuius infamiae, vel temporalis incommodi illos retardet, efficacem Dei vocationem praebere animū aggrediantur illud propter obtinendum bonum, quod in tali religione esse iudicant, cum spe (vixi) superandi tale periculum, sicut enim multi ob Dei honorem maioribus periculis se exponunt, non solum infamiae sed etiam mortis, ita minime timendum, ne desint, qui hanc etiam viam aggredi velint. Certè si consideratio illa efficax esset, nouitatus etiam cuiuscumque religionis, esset sufficiens occasio deterrendi homines ab ingressu, nam post illud inchoatum, nemo eicitur, aut retrocedit sine vlla infamia, aut nota, & quilibet timere potest, ne hoc illi contingat. Quod verò ad paupertatem attinet, nihil ferè est, quod ex hac parte timeatur, tum quia si aliqua bona Societati donata sunt, ea quidem iuxta c. 4. Examinis lit. B. & c. 3. 2. partis lit. B. ac praxim c. 5. congreg. decreto 8. Praeposito Gener. commissam, restitui solent ei, qui eicitur, tum quia non nisi qui in vocatione stabiles iudicantur, bonorum suorum, si qua habent, renunciationem facere permittuntur, si verò aliter de eis dispositum est, ita ut recuperari non possint, sibi imputet, qui post huiusmodi renuntiationem indignum se fecit, ut in Societate retineretur; & praeterea ipsa educatio in Societate, quamuis temporalis, & semina virtutum, ac doctrinae, quae in eo tempore comparari solent, maiora bona sunt, maiorisque aestimationis, quam temporalia illa incommoda, quae timeri posse dicuntur.

C A P V T III.

Utrum hæc scholasticorum admissio in Societatem verum religiosum constituat?

I. **R**atio dubitandi. Atio dubitandi est, quia ex hæcenus dictis, videtur manifestè colligi, hanc non esse veram professionem religionis: quia de ratione professionis est, vt sit votis solennibus omnino absolutis, & immutabilibus firmata, vt planè sentit D. Th. 2. 2. q. 88. art. 7. & 11. qui hac ratione concludit votum solenne esse indispensabile, & fieri non posse, vt semel religiosus desinat esse religiosus. Similiter q. 184. a. 4. addit, de ratione status perfectionis esse, vt solenni voto firmatus sit: Diximus autem hanc receptionem non firmari votis absolutis, & immutabilibus; non est ergo vera professio. Verus autem status religiosus solum per veram professionem constituitur, vt tom. præced. latè ostendimus; & constat ex multis locutionibus iuris, quæ in summa continent, *habitu non facere monachum sed professorem. c. porricum. de regularib. vnde in c. religioso. de sententia excom. in 6. dicitur: Is qui religionem ingreditur religiosus censeri cum effectu non potest, donec sit tacite, vel expresse professus.* Et Sixtus V. in declaratione sui motus proprii, de illegitimis: *Quia tunc (ait) verè, & propriè religiosi esse dicuntur cum professionem emiserint.* Si ergo scholastici Societatis eam non emittunt, veri religiosi non sunt. Et confirmatur ex forma, quam in vouendo seruant, quæ habetur 5. p. Const. c. 4. in qua in primis nulla fit mentio professionis, traditionis, aut promissionis, quæ homini fiat, & simpliciter dicitur, *Voues coram sacratissima Virgine Maria, & curia sua celesti vniuersa diuina maiestatis tua paupertatem, castitatem, & obedientiam perpetuam in Societate Iesu.* Deinde verò additur, *Et promitto eandem Societatem me ingressurum.* Ergo illa votorum emissio, non est ingressus in Societatem; nam quod postea faciendum promittitur, tunc non fit; non est ergo illa vera professio religiosa. Præsertim, quia statim additur, *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis constitutionis.* At verò in eisdem Constitutionibus declaratum est, illa vota non emitti in manibus alicuius, sed soli Deo fieri, vt patet in eodem cap. 4. §. 3. cum declaratione in lit. D. in qua additur, neminem illa vota admittit; ergo non potest illa esse vera professio religiosa; nam hæc consistere non potest, nisi in manibus alicuius hominis fiat. Circa hoc punctum nonnulli moderni Theologi, totis viribus conati sunt suadere, per hæc vota non constitui religiosum statum. Quorum fundamentum sufficenter tactum est in ratione dubitandi. Maximè enim nititur in communi vsu aliarum religionum, quem putant fuisse vnicum, ac perpetuum in Ecclesia: Ex quo volunt deducere non posse fieri, etiam per potestatem Summi Pontificis, vt aliquis sit verus religiosus cum huiusmodi tantum votis.

II. **N**ihilominus dicendum est per hanc receptionem, & votorum emissionem, personam constitui in vero, ac proprio religioso statu. Quam assertionem ita certè existimo, vt sine magna temeritate, & errore negari non possit. Nam ex professo dehnita, declarata, & probata est à Greg. XIII. prius in bulla anni 1582. quæ incipit, *Quanto fructus.* Et postea vberius contra aliquos falsos interpretes, vel potius impugnatores Pontificæ doctrinæ, in Constitutione, *sciendæ Domini.* ann. 1584. In quibus sæpius docet, eos, qui in Societate IESV, tria substantialia vota emiserunt, verè, ac propriè religiosos esse, etiam si illa vota simplicia sint, & non solennia. Vbi ante omnia expendenda est illa particula, *verè, ac propriè.* nam ex illa in primis colligitur esse in huiusmodi personis, quod quid ad substantiam, & essentiam.

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

tiâ religiosi status pertinet: nulla enim res dici potest, verè, & propriè talis, v.g. homo, aut equus, nisi habeat veram substantiam & essentiam hominis, vel equi, & è conuerso eo ipso, quod de fide credimus Christum fuisse verè, ac propriè hominem, eadem certitudine credimus habere totum id quod est de essentia hominis.

Deinde ex vi eorundem verborum, excluduntur plures falsæ interpretationes, quæ Pontificis sensum potius euertunt, quàm exponunt. Prima est, hoc fuisse speciale priuilegium Pontificis, atque ita huiusmodi personas posse vocari religiosas ex priuilegio, vel dispensatione, non quia in se habeant essentielle vinculum in quo substantia status religiosi consistat. Hæc autem fuga in primis repugnat proprietati, & veritati illarum particularum, *verè, ac propriè,* præsertim cum ad maiorem declarationem, & ad tollendam omnem tergiversationem, in vtraque constitutione addat Pontifex, hos scholares sic approbatos in Societate, *esse verè, ac propriè religiosos, non secus atque ipsos, tum Societatis, tum quorumvis aliorum regularium ordinum professos,* quod verum esse non posset, nisi essentia status religiosi æque in illis esset, licet fortasse in aliqua accidentali perfectione inferiores sint. Deinde repugnantiam inuoluit illa expositio contra synceram veritatem; quia vel per illud priuilegium verè conceditur tali personæ, vt ad proprium, & substantialem statum religiosum admittatur, vel non? si hoc non tribuitur, quomodo potest verè, ac propriè religiosi nomen illi concedi? aut quod priuilegium potest efficere, vt salua veritate, & proprietate, persona habeat titulum sine re, & maximè cum illa comparatione, *non secus atque ipsos, &c.* Si autem illud prius concedatur, parum nostra refert; quod aliquis vtatur illo nomine priuilegij, si ita appelletur, solum quia beneficio, & institutione Romani Pontificis talis modus religiosi status firmatus, & approbatus est. Quia verò calūniatores illa voce priuilegij vtuntur, ad diminuendam rei veritatem, & proprietatem, & significandum hos non esse religiosos simpliciter, sed secundum quid, ideo talem loquendi modum reiciendum, & omnino vitandum censemus. Si enim priori sensu loquerentur, dicere possent omnes professos esse religiosos ex priuilegio, quia sine beneficio Pontificis, id est, sine eius institutione, & approbatione, in nulla religione esset verus, ac proprius religiosus status. At verò hæc approbatio omnino impropriè priuilegium appellabitur, cum per se non sit aliquid contra legem, aut commune ius.

IV. **D**icere verò potest aliquis, religiosum statum, qui per veram, & solennem professionem assumitur, esse proprium & verum ex diuino iure: hunc autem, qui per hæc vota Societatis assumitur, esse quidem verum, & proprium, tamen solum ex iure positiuo; & hoc sensu esse ex priuilegio Pontificis, quia ab ipso non tantum approbatus, sed etiam inuentus, & institutus est. In quo differt à priori, qui solam declarationem approbatuam requirit. Et hoc modo non repugnat esse statum aliquem vere religiosum, & positiuo iure introductum, quamuis sit alius status religiosus iure diuino institutus, sicut in materia de simonia dicitur esse quædam simonia iure diuino prohibita, alia iure humano, vel sicut aliqui putarunt, quædam sacramenta esse ab Ecclesia instituta, alia à Christo, quod licet de facto sit prorsus falsum, de possibili non repugnat.

V. **A**d hanc autem euasione respondemus in primis, si hic status religiosus tam verus & proprius esse conceditur, sicut quilibet alius, quantum attinet ad substantiam, & essentiam talis status, sic parum referre ad rem de qua agimus, illi tribuere institutionem diuinam, aut humanam, quia hic non agimus de origine huius status, sed de veritate eius.

Relucitur
secundo.

Relucitur
tercio.

VI.
Tertia in-
terpretatio.

Expugnatur
primo.

Secundo.

Si autem propter illam humanam institutionem, censetur in aliquo deficere à veritate, & proprietate religiosi status, sic distinctio illa repugnat verbis Pontificis, & impugnanda est quoad hanc partem, eodem modo quò præcedens. Deinde verò addo, distinctionem illam falso niti fundamento, & gratias esse confectam, atque ex alia parte repugnantem doctrinæ eiusdem Pontificis, ut patet ex illis verbis prædictæ constitutionis, *ascende. scilicet Domino. Non consideramus voti solemnitatem sola Ecclesia institutione inuenta esse, itaque huiusmodi Societates votum tamen simplicia, ut substantia religionis vota, ab hac sede fuisse admitti. Vbi in virtute sic Pontifex argumentatur: Ecclesia induxit solemnitatem in votis religiosorum, ergo etiam potest sine tali solemnitate statum religiosum approbare, seu instituire, ergo ex sententia Pontificis hic status utroque modo factus est ex Ecclesiæ constitutione, nulla ergo est illa differentia. Et declaratur amplius in hunc modum. Quia vel est sermo de statu religioso præcise, ac secundum se, prout à Christo Domino fuit traditus: & sic tam verè, ac propriè saluatur hic status in hoc gradu Societatis, sicut in quibuslibet aliis personis religiosis; hoc est enim quod apertè supponit Pontifex in citatis verbis; ergo quoad hoc nulla est differentia, sed quilibet ex his statibus est ex diuino iure. Velloquimur de statu religioso determinato ad hunc, vel illum modum votorum; & sic uterque status est ex Ecclesiæ determinatione, & institutione, ut idem Pontifex docet in verbis proxime citatis, & in tom. superiori latè à nobis ostensum est ex antiqua Ecclesiæ historia, adiuncta etiam ratione, & autoritate Bonifacii in c. vnico, de voto in 6.*

Hic verò non obstantibus, aliqui, quos etiam refert Enriq. vt in l. 6. initio c. 3. citabimus, tergierant dicentes, religionem Societatis non esse veram religionem, ac propriam, nisi quatenus in ea sit vera professio per vota solennia, & cōsequenter admissionem hanc scholarium approbatorum per se non sufficere ad constituendum statum religiosum verum, ac proprium, quamuis prout in Societate sit sufficiat ad denominandū hominē verè, ac propriè religiosum, quia sit in ordine ad consummandum talem statum in tali religione; & quia aliquo modo vnit personam Societati, quæ absolute, & simpliciter vera religio est, ratione gradus professorum, qui si in ea deesset, nulla alia eius vota, vel receptio (iuxta horum sententiam) sufficeret ad verum statum religiosum constituendum: veruntamen non minus facile ostendi potest hanc etiam fugam esse contrariam intentioni, & verbis Pontificis. Primo ex vi earundem particularum, *vere ac propriè*, quæ stare non possunt, si veritas, ac proprietas status religiosi in toto corpore Societatis, solum esset ratione gradus professorum: sic enim reliqui non haberent in se, & intrinsecè substantialem formam (vt sic dicā) constituentem verum, ac proprium religiosum; ergo solum dicerentur religiosi per denominationem extrinsecam, & analogiam, quatenus coniuncti sunt cum veris religiosis, & eos imitantur, vel ad eorum statum tendunt; quod satis esse non potest, vt dicantur verè, ac propriè religiosi. Quod secundo maxime confirmat comparatio illa; *non secus atque ipsos professos*, &c. Nam per illam uterque gradus per se spectatus cum alio confertur, & æquè verè ac propriè dicitur esse talis; ergo gradus scholarium non dicitur religiosus verè, ac propriè, propter coniunctionem, & tendentiam ad gradum professorum; sed per se propter vnionem, quam habet per vota sic in religione admitti. Eo vel maxime, quod coadiutores formati Societatis non vltra tendunt ad gradum professorum, sed ibi sistunt, tãquam in vltimo termino suo; ergo non possunt dici religiosi, cum non tendant ad gradum professorum. Neque

etiam solum quia in eadem congregatione cum illis versantur, hoc enim satis esse non potest ad verum religiosum constituendum, nisi illa vnio, quæ cum illis coniuncti sunt, eos in vero statu perfectionis constituat; nam si non sunt in vero statu querendæ perfectionis, quomodo erunt in statu religionis? quod si non sunt in statu religionis, quomodo sunt verè, ac propriè religiosi? Oportet ergo vt talis receptio, & vnio per se sufficiat ad talem statum. Ergo eadem ratione dicendum idem est de vnione scholarium nam quoad substantiam, & modum votorum eiusdem rationis est.

Vnde etiam addo, licet in Societate nulla fieret professio solennis, sed instituta solum esset cum ceteris gradibus, quod autoritate Pontificis non potuisset, & illam futurā fuisse veram religionem, & eius vota emittentes, æquè futuros fuisse verè, ac propriè religiosos, ac nunc sunt approbati scholares, vel formati coadiutores. Quia vota, & receptio essent eiusdem rationis; & quoad hoc alter gradus professorum solum se habet cōcomitanter. Atque hoc totum apertè confirmant verba, quibus Pontifex, & rationem suæ definitionis, & occasionem contrarij erroris declarat. Nam quoad primum, inquit, emittentes hæc vota in statu religionis verè constituti, quippe qui per ea ipsa Societati deducant, atque actu tradunt, sequē diuino iuramento in ea mancipant. Vbi non sumit rationem ex concomitantia alterius gradus, vel tendentiæ ad illum: sed ex intrinsecò vinculo, & quali forma personarū, sic vuentium. Quam rationem paulò inferius à num. 3. latius explicabimus. Quoad secundum verò, *commemorariam auctoritatem* contradicentium reprehendisset, subdit, *Omnia ex aliorum regularium ordinum constitutionibus rationibus formis, & statutis inuentis, Societatis institutum, peculiare constitutum; ac vim votorum simplicium illius, in eadem Societatis religione probatam admissum, per penitus ignorantes, ac nonnulla iure antiqua, quæ post illud, fuisse temporis, huius sedis an huius, approbatione, & confirmatione, ac peculiaribus privilegiis sancita, & robora esse, dignoscuntur, perperam interpretantes, conuellerunt. Non est ergo dubium quin Pontifex docere, ac declarare voluerit, per hanc receptionem & approbationem talium votorum intrinsecè, ac propriè constitui personam in statu religioso, & ideo sæpe vocat illa vota *vere substantialem religionis*; dicitque per Sedem Apostolicam admitti in Societate, tanquam in religione per eam approbata. Ac tandem concludit. *Decretum hanc solum esse, qui in coadiutorum formatorum gradus admittuntur, sed etiam omnes qui in ipsa Societate admitti, ita vota prædicta, tam tñ simplicia emisse, ut verè ac propriè religiosi fuisse, & essent.* Et infra addit præceptum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne quis prædictam definitionē falsis, aut violentis interpretationibus, aut quouis quæsito colore impugnare audeat.*

Atque ita intellexit hanc Pontificis mentem Doctor Nauar. conf. 49. de regular. quod incipit, *an si Societas vere*. vbi cum definiuisset quendam, qui se monachum fuisse, non esse verum religiosum, subdit. *Longe tamen alia ratio est eorum, qui in Societate L. E. S. V. post breuiorem probationem tria simplicia vota Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ emittunt. Hi namque cum ita veniant, ut certoque propèso, vt religiosi sint, cumque eadem more, & ratione ab eiusdem Societatis superioribus admittantur, & cum vere se obligent ad obseruantiam regularis constitutionum ipsius Societatis, eique instituti ab apostolica Sede sapientissimè approbati, aut Gregorius XIII. Idem habet in commentario de regular. numero 19. vbi in hoc distinguit vota priuatim emissa à nouitio ante expletam biennij probationem ab eis votis, quæ iuxta proprium Societatis ius, post expletam probationem*

probationem in ea emittuntur; nam priora non faciunt religiosum; posteriora verò ita proprium, & verum religiosum constituunt, vt sine vicio apostasie, & penis eius, nullus possit ex parte sua exire, aut relinquere Societatis ordinem, quamvis ex rationabili causa possit dimitti, quod dicit esse quiddam nouissimum, & admirabile concessum præfata Societati, & clare declaratum, & confirmatum à S. D. N.

IX. Probatur eadem conclusio ex ratione.

Ratione ita potest hæc veritas demonstrari: Nam in hac probatione, seu receptione scholarium est vera traditio ex parte ipsorum scholarium in magnum, & totale, ac perpetuum Dei obsequium tribus substantialibus votis stabilita, & facta in religione approbata, & iuxta formam ab Ecclesia confirmatam: ergo est in tali actu quiddam necessarium est ad constituendum statum verè religiosum, & quoad hoc substantialiter, & essentialiter conuenit cum vera professione religiosa. Antecedens ex facto ipso supponendum esset potius quam probandum; quia dum hi religiosi perpetuam obedientiam cum aliis votis in Societate promittunt satis ostendunt, se ipsos Societati tradere: neque enim oportet, vt verbo tradendi, aut alio simili formaliter utatur; nam etiam in aliis religionibus antiquis professio solum fit per verbum promittendi, vt constat ex variis formis quas tom. superiori retulimus disputantes de professione religiosa. Sensus ergo verborum ex intentione operantium, & ex usu sumendus est; ac propterea Gregor. XIII. declarauit expresse: hos religiosos, per hæc vota se Societati dedicare, atque actu tradere, sequi diuinos, ruitio mancipare. Deinde ab effectu, & ex constitutionibus eiusdem Societatis idem ostenditur; nam in §. p. Constitut. cap. 1. de scholasticis approbatis dicitur, modo quodam interiori in corpus Societatis coaptari, & vt membrum vnus, ac eiusdem corporis Societatis admitti. Et idem repetitur in cap. 4. §. 5. Non possunt autem fieri actu membra huius corporis, & vt talia admitti, nisi ipse scholaris se tradat, quia hæc coniunctio debet esse vtriusque voluntaria. Item per hanc vnionem acquirit Societas peculiare ius in talem personam, quale habet corpus in membrum suum; non potest autem illud acquirere, nisi alio etiam tradente, & consentiente. Atque hoc idem argumentum sumitur ex omnibus locis constitutionum, in quibus significatur hos scholares esse vera membra Societatis, vt in 2. p. Constitut. cap. 3. vbi dicuntur in corpus Societatis coaptati. Et in 4. p. cap. 3. §. 3. dicuntur admitti ad viam in Societate perpetuo ducendam, ad gloriam Dei. Et §. p. cap. 1. liter. A. dicitur Societatem in sua proprietate includere professos, coadiutores, & scholasticos approbatos. Ex his enim tribus partibus, aut membris Societatis corpus constare. Patet ergo ex parte horum religiosorum esse sufficientem traditionem, ab ipsa religione satis etiam acceptatam, vt ex hac parte nihil re vera deest ad verum religiosum statum.

X. Dicit verò aliquis, acceptationem ex parte Societatis, non esse omnino absolutam, nec cum obligatione reciproca retinendi perpetuo in Societate personas sic approbatas, & ideo talem traditionem & acceptationem non sufficere ad religiosum statum constituendum. Sed hoc præterquam quod est contra mentem Gregorij XIII. facile potest ratione impugnari demonstrando illum modum acceptationis sufficere ad religiosum statum. Quod primò ostendi potest ex generali ratione status seruicij; nam ad illum constituendum sufficit similis traditio ex parte serui, & acceptatio ex parte Domini, quamvis Dominus nõ obliget ad perpetuo retinendum seruum sub dominio suo: cur ergo similis traditio & acceptatio non sufficiet, seruata

Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

proportionem ad statum religiosum constituendum, qui est status seruicij? Præterea in superiori tomo ostensum est, non esse de ratione status, vel in genere, vel perfectionis, vt sit omnino immutabilis, sed sufficere quod habeat moralem firmitatem, & perpetuam, quantum est ex parte assumentis statum, ita vt non sua priuata, sed ad summum publicam potestate, & ex rationabili causa statum mutet; sed ille modus traditionis sic admittit à religione, est sufficiens ad huiusmodi firmitatem: ergo ex hac parte est etiam sufficiens ad statum religionis. Et simili discursu ibidem ostendimus non esse necessarium ad statum religiosum, votum solemne, sed sufficere simplicia in eo gradu acceptata ab Ecclesia, tanquam substantialia religionis vota.

Atque hinc probata manet consequentia principalis rationis superius factæ. Quid enim afferri potest necessarium ad religiosum statum, quod his religionis deest, cum essentialis professio illa duo tantum requirat, traditionem scilicet, & tria vota, & alioqui ostensum sit, non esse de essentia quòd talia vota sint solennia, solennitate legalis, nec quòd acceptatio traditionis sit prorsus irrevocabilis, aut ita absoluta, vt nullam conditionem includat? Sed adhuc potest responderi, ex parte votorum aliquid deesse necessarium ad statum religionis simpliciter, quale est in voto castitatis, virtus ad irritandum matrimonium prius contractum, & non consummatum: Et in voto paupertatis, vis ad reddendam personam inhabilem aut incapacem dominij, seu proprietatis, vel (quod grauius ac difficilius est) tale esse votum, vt non obliget ad relinquendum statim omne dominium, quod videtur pugnare cum illis verbis Christi Matth. 19. Si vultis perfectus, vende, & vende omnia que habes, & da pauperibus, & sequere me. Videtur etiam esse contra Innocentium III. in cap. cum ad monasterium, de statu Monach. vbi sic inquit. Nec est iuste Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare, quia abdicatio proprietatis sicut & custodia castitatis adeo est annexa regula Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. Nam ex his verbis constat proprietatem, & dominium omnino pugnare cum religioso statu.

Sed de his votis particularibus, & perfectione eorum ex parte materiae, dicturi sumus lib. sequenti. Nunc ergo ad priorem partem de voto castitatis responderetur, aut illam vim dirimendi matrimonium ratum præcedens, non esse de intrinseca ratione status religiosi, aut huic voto inesse: quid autem horum verius sit, eodem lib. cap. 2. dicemus. Quod verò attinet ad votum paupertatis, multò certius est, non esse necessarium, quod reddat personam incapacem dominij, vt possit esse votum substantiale religionis, quia hoc non ad substantiam, vel ad materiam, sed ad solennitatem illius voti pertinet. Quod verò ad alteram partem spectat, responderetur, paupertatem non consistere in indiuisibili, vt sic dicam; sicut nec obedientiam; ideoque non esse æqualem in omnibus religionibus, sed in vnaquaque promitti, & seruari iuxta propriam regulam ab Ecclesia approbatam. Vnde certum esse debet illam paupertatem, quam Ecclesia approbavit, vt sufficientem ad religiosum statum, sufficere secundum generalem rationem eius, atque adeo secundum aliquam speciem illius status: talis autem est paupertas, quæ per hoc votum promittitur; nam est vera abdicatio rerum omnium temporalium, quoad liberum usum earum, solumque illum concedit, dependenter ab alterius arbitrio. Et eodem modo, licet non statim necessario auferat dominium, tollit nihilominus liberam facultatem retinendi illud, eoque vtendi absq.

Nn 3 supe-

XI. Suadetur id consequentia principalis rationis in §. 9.

Aduersarij vnum replicat.

XII. Remouetur.

superioris arbitrio, & ideo dominum illud, quali materialiter ibi manet, seu de facto, & non de iure, ac vi ipsius voti, nihilque proinde statui perfectionis obstat. Sicut vinculum matrimonij, quod manet in coniugato, qui ex legitimo consensu coniugis post consummatum matrimonium professus est, nihil obstat statui perfectionis, quia veluti materialiter tantum, & non ex vi assumpti ibi manet, neque aliquem usum postulat, qui perfectionis statum impediatur. Neque verba Innocentij obstant, quia non loquitur de statu religionis in communi, sed in particulari, de monachatu, de cuius speciali ratione est ille modus paupertatis, imo etiam est de ratione voti solennis paupertatis, non tamen propterea necessarium est, ut sit declaratione status religiosi in genere, vel cuiuscunque speciei eius, possunt enim varij status religiosi, quasi distincte differre in propriis conditionibus aliquo modo essentialibus, ut aperte supponit Concil. Trident. sess. 25. cap. 1. de regul. cum omnibus regularibus precipit, ut fideliter obseruent, quae ad suae professionis perfectionem, ut obedientiam, paupertatem, & castitatem, ac si quae alia sunt alicuius regulae, & ordinis peculiaris vota, & praecipua, ad eorum respectum essentiam, necnon ad communem victum, & vestitum pertinentia. Sed de hac paupertate, & difficultate iterum lib. sequenti a cap. 4. quaestionem propriam instituemus.

CAPUT IV.

Deducuntur aliquot corollaria ex praecedente doctrina.

Primum corollarium.

I. EX dictis in superiori capite, antequam eius rationi dubitandi satisfaciamus, (quod capite sequenti praestabimus) inferitur, assertiones ibi positae quibus statuimus scholasticos Societatis per vota tantum simplicia in ea incorporatos, esse vere ac propriè religiosos, non solum cepisse habere veritatem à tempore dictarum constitutionum Greg. XIII. sed antea, scilicet ab initio approbationis Societatis, ex quo talia vota coeperunt in ea fieri, tanquam in religione approbata, & admitti Apostolica autoritate. Probatur, quia decreta illa Gregorij quoad hanc partem, non sunt factiva (ut sic dicam) seu constitutiva, sed declarativa; quae autem huiusmodi sunt, non tantum in praesens, vel futurum tempus, sed etiam in praeteritum extenduntur, iuxta communem sententiam quam referunt & sequuntur Felin. in cap. vlt. de constit. Sylu. verb. *Lex* q. 23. & Nauar. comment. 4. de regular. num. 43. Antecedens probatur primò, quia Gregorius in suis constitutionibus nihil adiunxit huic statui, quod ad statum religionis simpliciter necessarium esset. Nam licet in posteriori constitutione, *Ascendite Dominum*, specialiter addiderit, ut emittentes haec vota, illis duranti in inhabiles sint ad matrimonium contrahendum, & quoad hanc partem constitutio fuerit dispositiva, & non declarativa, quae praeteritum tempus non comprehendit iuxta c. 2. de Constit. Nihilominus iam antea idem Pontifex in bulla, *Quanto fructuosius*, declarauerat per illa tria vota constitui statum verè religiosum, & consequenter supposuerat illam inhabilitatem, quae tunc non erat, non esse de substantia status religiosi, licet postea ob quandam maiorem decentiam, & ad occurrendum incommodis, quae experientia docere potuit, adiuncta fuit.

II. Secundo idem probatur ex verbis eiusdem Pon-

tificis. Nam in priori bulla, *Quanto fructuosius*, post approbationem instituti motu proprio, & ex certa scientia, & à plenitudine potestatis factam, subdit. *Ad hac dictam Societatem firmo nostri declarationis subsidio communitate volentes, statuimus, atque etiam decernimus, non modo eos, qui in coadiutorum formatum, seu spiritualium, seu temporalium gradum, & ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes, quoscumque, qui in ipsa Societate admitti biennio probationis peracta tria praedicta vota, tametsi simplicia emiserim, emittentque in futurum verè, & propriè religiosos fuisse, & esse, &c.* Vbi ponderanda sunt illa verba, *Firmo nostra declarationis subsidio*, quae satis ostendunt illam constitutionem, magis esse declaratiuam, quam constitutiuam. Vnde quod postea dicitur, *statuimus, & decernimus*, magis de statuto confirmante, quam de nouo aliquo constituyente, intelligendum est, seu de statuto praecipiente, ut talis declaratio tanquam vera, & certa teneatur, ut ibi statim praecipitur. Denique illa verba *esse, & fuisse*, satis conuincunt illam legem esse declaratiuam, alioquin non potuisset in praeteritum ferri. Vnde alia constitutione, *Ascendite Dominum*, refertur Gregorius illam priorem, vocat illam declarationem, decretum, praecipuum, & interdictum suum. Et inferius similiter subdit. *Statuimus, atque decernimus tria vota huiusmodi esse simplicia ex huius sedis institutione, ac nostra etiam declaratione, & confirmatione, esse verè & simpliciter religiosa vota, & in dicta Societate tanquam in religione approbata per sedem eandem fuisse admissa, & esse.* Vbi attente considerandum est, institutionem sedis, declarationem autem sibi Gregorius tribuere, quia ipse re vera non instituit, neque primum probauit hunc modum religiosi status, sed praedecessores eius rem ipsam instituerunt. Ipse autem expresse declarauit, quod in re illa iam constituta continebatur.

Quod tertio ostendi potest ex bullis & confirmationibus priorum Pontificum. Nam Paul. III. in secunda bulla confirmationis auctoritate Apostolica concedit, ut per huiusmodi vota per se ipsos, vel in Societatem admitti, & Societati aggregari. Et in bulla 4. prohibet huiusmodi scholares transire ad aliam religionem excepto Carthusienium ordinem, imò eos inhabiles ad quamcunque aliam professionem faciunt Pius IV. & Pius V. in bulla anni 1565. quae incipit, *Aequum reputamus*, quae à priori edita, & à posteriori publicata, & confirmata fuit. Nunquam autem Pontifices prohiberent his personis transitum ad religiosum statum, nisi eos veros, ac perfectos religiosos esse supponerent: & ita in praedicta bulla saepe eos religiosos appellant. Et è contrario apostatas vocant, & tanquam desertores status religiosi puniunt eos, qui post hac vota sine licentia superiorum hunc statum relinquunt: ergo supponunt eos esse in vero statu religioso. Et confirmatur, quia Pius V. in bulla 3. anni 1571. quae incipit, *Dum indifferenter*, declarauit Societatem, (etiam si Collegia habeat, quae ex propriis redditibus sustentantur) propositum, ac singulas personas eius verè, & non sibi manducantes fuisse, esse, & fore: & inter aliorum fratrum, & religiosorum mendicantium ordinis, aliquos fratres, & religiosos mendicantes, prout illos nos conuenerimus, & conueneri debere, ac omnes, & singulas tam iuri, quam hominum dispositiones in suum religionis, seu fratrum mendicantium, nunc & praeteritum emanatas, etiam in Societate, illisque damnum, Collegis, Praepositis, & alijs religiosis locum habere. Quibus verbis non minus expresse quam Gregorius declarat, has personas, & religiosas esse, & sub mendicantibus comprehendi, idque sub his iuribus, & dispositionibus, quae in fauorem religiosorum, seu

seu mendicantium facta fuerint. Et si attentè inspicatur contextus Pontificis, facile intelligitur illam constitutionem, quoad hanc partem potius esse declarationem ad tollendam omnem ambiguitatem, ut ibidem dicitur, quam nouam dispositionem. Potest etiam hoc confirmari ex Conc. Trid. sess. 25. cap. 16. de regul. in illis verbis. *Per hac autem sancta synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum Societatis IESU, &c.* Vbi nomine religionis sine dubio totam Societatem comprehendit, quatenus suis omnibus membris constat, & ibi tacite approbat hoc institutum, quatenus in eo præter novitios varij sunt religiosorum gradus, quia omnes verè religiosi sunt, etiam si non omnes solenniter professi sint, ut clarius Greg. XIII. postea declaravit.

Vltimò probatur ratione, quia ipsemet Gregor. XIII. suam declarationem confirmat, nimirum quia huiusmodi persona, per hæc tria vota, ut substantialia religionis se tradunt Societati, & in ea tanquam in religione ab Ecclesia approbata, se totos diuino seruitio in perpetuum consecrant, ex quo inferri illos esse verè, & propriè religiosos. Illud autem assumptum verum fuit à principio, ex quo post approbatam Societatem talia vota in ea heri cœperunt, ut per se notum est: ergo & consequens illud semper verum fuit, nam in illo antecedenti continetur sufficiens, & adæquata causa consequentis seu status verè religiosi. Confirmatur, ac declaratur nam cum Gregorius illam declarationem fecit, non minus certum fuit eos, qui iam erant in Societate, esse verè ac propriè religiosos, quàm eos qui fuerint deinceps in ea admisi, ut constat ex verbis eiusdem constitutionis, & ex communi omnium sensu, & quia non aliter vota emittunt, vel in Societatem admittuntur posteriores, quàm priores. Non poterant autem illi qui iam erant in Societate, si iam non fuissent veri religiosi incipere esse tales propter solam extrinsecam constitutionem Pontificis: quia non potest Pontifex facere de non religioso, religiosum sine voluntate eius, maxime cum non addiderit religioni nouam approbationem, neque nouam potestatem admittendi concesserit, nec nouum modum traditionis, aut acceptationis eius instituerit: ergo necessario dicendum est, omnes huiusmodi personas, semper, & à principio extitisse verè ac propriè religiosas. Tandem confirmatur à posteriori. nam votum religionis impletur in Societate, etiam in hoc gradu, etiam sine spe transeundi ad professorum gradum, sed tantum coadiutorum formatorum. Imò etiam si votum religionis factum sit de quacunque alia religione determinata, potest in hæc vota commutari, ut constat ex summa priuilegiorum Societatis §. 2. & 3. quod multò ante constitutionem Gregor. XIII. verum habuit. Ergo signum est per hæc vota semper fuisse constitutos verè religiosos, alioqui per illa non impleteretur religionis votum.

Corollarium secundum.

Secundò inferitur ex dictis, quàm sit certa hæc veritas à Pontifice declarata. Existimo enim esse omnino infallibilem, ita ut sine errore in inde negari non possit. Ratio est, quia sententia Pontificis in his, quæ ad doctrinam pertinent, infallibilem continet certitudinem, ex Christi institutione, & promissione. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Luc. 22. & Matth. 16. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & porta inferi non præualebunt aduersus eam. Et concessio facta est Ioan. 21. Pascuis me. Quæ testimonia ita sunt ab Ecclesia intellecta, &

perpetua traditione, ac Patrum, Conciliorum, & ipsorum Pontificum definitione firmata, ac declarata, ut suppono ex propria materia: & videri possunt, quæ Gratianus congerit d. 12. sui decreti, & 24. q. 1. per plura capita & latè Bellarmin. lib. 4. de Summo Pontifice, à principio per aliquot capita, & Turrecr. in Summa lib. 2. cap. 10. & ob hanc rem obseruatum semper in Ecclesia fuit, ut grauiores fidei quæstiones, & causæ ad Romanam sedem, tanquam ad fidei cathedram, & magistratam referrentur, ut dicitur in cap. *Maiores*. de baptismo, & sumitur ex cap. *Damnatus*. de Summa Trinitate, & fide catho. & cap. *Fideli*. eodem tit. in 6. cap. *Ad abolendam*. de hæreticis. cap. *Præceptis*. & cap. *Non decet*. d. 12. & cap. *Nullus*. d. 19. Ac tandem ex Concil. Florentin. in decreto vnionis, & ex Tridentin. sess. 7. can. 3. de Baptismo. & sess. 25. circa finem decreto de delictu ciborum, & plura referunt citati auctores. Si maneat de catholicis institutionib. ca. 45. Valde autem diminuta fuisset Christi D. providentia circa suam Ecclesiam, si in decidendis talibus quæstionibus ex cathedra, Vicarium suum labi permitteret. Neque ipse iuste posset sub anathematis vinculo subditos compellere ad standum his declarationibus, seu definitionibus, si in doctrina tradenda errare posset. Cum ergo ostensum sit, prædictam constitutionem continere declarationem cuiusdam veritatis valde necessariæ ad mores Ecclesiæ, & ad quietem, & pacem animarum, planè talis declaratio infallibilem continet certitudinem.

Et hoc confirmari potest ex doctrina Theologorum, & catholicorum omnium, qui pro certo habent, Summum Pontificem non posse errare in doctrina morum Ecclesiæ tradenda: de qua re videri possunt auctores paulò antè citati: nam hæc doctrina multum pertinet ad bonos mores, & ex opposito multa inferri possunt absurda, & scandalosa in Ecclesia, quæ paulò inferius, in 3. corollario numerabimus, ut hæc veritas notior fiat. Et è conuerso si hæc declaratio Pontificis falsa esse posset, ex illa multa absurda, & contra bonos mores sequeretur, ut quod status religiosus commutaretur in non religiosum, & quod votum religionis impleteretur sine statu religioso, & similia.

Nec sufficit dicere doctrinam hanc non pertinere ad vniuersalem Ecclesiam, sed ad quandam particularem religionem, vel potius ad quandam partem eius, & idè non necessariò habere illam infallibilitatè, quam in proponenda vniuersali Ecclesiæ doctrina morali Pontifex habet. Hoc (inquam) dici non potest: primò quia non solum pertinent ad vniuersalem Ecclesiam ea, quæ ad omnes Ecclesiæ status, vel ordines pertinent, sed etiam ea, quæ licet in vno statu particulari versari videantur, ad vniuersalem Ecclesiam quouis modo pertinent. Huiusmodi autem est bonum vniuersalis religionis, quod in præfenti declaratur primò, quia hæc religio per totam Ecclesiam diffusa est, & ex tota Ecclesia possunt ad illam homines recipi, & vocari. Secundò, quia hæc veritas omnibus fidelibus proponitur, & secundum illam iubentur omnes & sentire, & iudicare, & operari ut in eadem constitutione exprimitur. Tertiò, quia sicut Societas in totius Ecclesiæ vtilitatem instituta est, ita certitudo, & firmitas circa statum eius, & veram doctrinam ad eam pertinentem, ad eiusdem Ecclesiæ vtilitatem spectat. Quod videtur idem Pontifex Gregorius insinuasle cum dixit: *Nes vniuersalis Ecclesia vilitari, quam eximiat, & in concussio dictæ Societatis instituta, & religiosa scholis educatione sentimus, & maiorem in dies speramus, proficentes, & præterea eiusdem Societatis indemnitas, paci, quieti, & incrementis consulete volentes, motu simili*

Ex certa scientia &c. Et confirmatur. Nam ob hanc causam certum est, & supra ostensum, Summum Pontificem non posse errare in approbatione alicuius religionis in particulari, tum quia, licet una religio particularis videatur, tamen vniuersali Ecclesie proponitur, & in omnes redundare potest; tum etiam, quia si in una errare posset, in qualibet posset, & ita omnia essent incerta, & periculis exposita: ergo idem in presenti dicendum est, quia non minus graue est in Ecclesia approbare, seu declarare aliquem statum, ut verè ac propriè religiosum, ac perfectionis: quam approbare religionem, imò vnum in altero includi videtur. Et confirmatur, quia Pontifex in declarando aliquo iure, an diuinum sit, vel humanum, infallibilem habet auctoritatem: quis enim dubitet Concilium Tridentinum, cum definit sacramenta omnia, esse de iure diuino instituta, aut confessionem ex præcepto diuino præmittendam esse ante communionem, quando intercedit conscientia peccati mortalis, infallibilem doctrinam tradere? Aut quis neget Summum Pontificem habere in huiusmodi doctrina tractanda æqualem, vel maiorem potestatem? Hæc autem declaratio, nihil aliud est, quam explicatio iuris diuini, vel humani, quod circa statum religiosum, & institutionem eius per vota simplicia, vel solennia interuenit: ergo cum facta sit Pontificia auctoritate, infallibilem habet certitudinem. Denique alia decreta, quæ Pontifices ediderunt, declarando particularia instituta aliarum religionum; tanquam certa, & firma à catholicis omnibus recipiuntur, ut constat ex cap. cum ad monasterium, & cap. vltim. de statu Monachorum. quæ tractant de religione Sancti Benedicti, & ex cap. existit. de verbis, significat. in 6. & in Clement. Existit. eodem titulo, quæ pertinent ad religionem Minorum. Non est autem minoris auctoritatis hæc declaratio Pontificia; quia nec materia minus grauis est, nec potestas minor, nec verba minus clara, & euidentia, ut iam dicam.

VIII. Alterum est fugium turpiter erroneum.

Recognouit enim hanc Pontificiam auctoritatem, & potestatem quidam prædictæ veritatis, & declarationis impugnator, cuius mentionem fecit idem Pontifex Gregorius in constitutione, *Assistente Domino*. Et propterea, ut ibidem dicitur, ausu temerario peruersè interpretari mentem Pontificis aggressus est, imò sententiam eius reuicere, dicens, priuato sensu loquutum fuisse, & ut priuatum Doctorem errare potuisse, & ex falsa informatione errasse. Quamuis autem in hac censura turpiter, & manifestè ipse errauerit, ut statim ostendam à num. 12. illud tamen, quod tacitè supponit, libenter accipimus, nimirum non potuisse Pontificem in ea doctrina errare, si non ut priuatus Doctor, sed ut Pontifex locutus fuit; non enim sine causa impugnator ille ad priuatum sensum Gregorij diuertere conatus est, ne Pontificiam auctoritatem, & cum illa catholica doctrina certitudinem impugnare, & quantum in ipso esset, labefactare videretur.

IX. Illud autem subterfugium, vel ex nimio affectu dicti erroris impugnandi societatem, vel ex ignorance verborum Pontificis videtur profectum. Tria enim sunt verba in illis decretis, quæ his falsis interpretationibus omnem viam præcludunt, scilicet, *motu proprio*, *ex certa scientia*, *ex plenitudine potestatis*. Primum scilicet, *motu proprio* (ut Doctores dicunt) excludit subreptionem à literis Apostolicis, id est, facit, ut contra Breue Pontificium allegari non possit surreptio. Argumento cap. Si motu proprio. de præbend. in 6. vbi dicitur concessionem beneficii, quam Pontifex alicui facit habenti aliud, quod Pontifex ignorabat, nec illi propositum fuit, esse validam, si gratia motu proprio facta est: subreptionem ve-

ro, si ad petitionem partis: & ratio optima ibi adiungitur, quia prior gratia ex mera liberalitate facta est. Declaratur autem nunquam ita fieri, nisi quando expressè explicatur per illa verba, *Motu proprio*. Super quem textum plures effectus huius clausulæ referuntur, quos latè sequitur, & refert Rebuffus in concordatis tit. de forma mandati Apostolici. verbo, *Motu proprio*. Ex quibus ad rem presentem maximè facit, quod quando est clausula, *Motu proprio*, non admittitur pars ad probandum contrarium; quia esset arguere Summum Pontificem de mendacio: de quo videri potest Bertrandus consil. 35. & 202. in fine tom. 1. Staphileus de literis gratiæ, & iustitiæ, & Couar. in cap. Alma Mater l. p. 37. num. 2.

Quia verò licet hæc particula excludat subreptionem ex taciturnitate, non tamen excludit omnem deceptionem, nec purgat omnem falsitatem, ut iidem authores aduertunt, ac latè Sanchez lib. 5. de matrim. disput. 4. & 21. à num. 47. ideo præter illam particulam additur, *Ex certa scientia*. Per quæ verba Pontifex indicat, se non de deceptione aliqua, sed ex vera, & perfecta informatione concedere, ut Staphileus supra dicit, num. 10. Et ideo sicut non admittitur aliquis ad probandum contra particulam, *Motu proprio*, Pontificem solum ad initiationem partis processisse, quia esset illum mendacij arguere, ita quando Pontifex profiteretur se procedere ex certa scientia, nemo prudens potest respondere, ex ignoracione, aut falsa informatione id egisse, quia hoc est mendacij arguere ipsum Pontificem: Quod maximè in presenti verum habet. Nam cum in priori bulla Papa in declaratione dixisset, se id facere ex certa scientia, in posteriori non oblitante alterius interpretatione, & obiectione, hoc ipsum confirmat.

Additur verò particula, *De plenitudine potestatis*. Quanquam enim, quod Papa motu proprio operatur, præsumatur ut plenitudine potestatis, ut manifestè tractant Glossæ, & Doctores in cap. Ad hæc de refectione. & Felin. in cap. causam 2. de testibus colum. 4. Quod etiam affirmat de altera clausula, *Ex certa scientia* in cap. cum inter, de except. num. 5. & sequentibus. Panormit. in cap. ea qua. de sententia & reuoc. num. 8. Tamen ad tollendam omnem ambiguitatem expressè additur illa particula: quia non poterat clarius exprimi Pontificem operari, ut Pontificem, & non ut priuatum personam, quam dicendo, se hoc declarare ex plenitudine potestatis: hanc enim non habet nisi quatenus Pontifex est. Et quia potestas debet esse accommodata actui, certum est hic non esse tantum sermonem de potestate iurisdictionis, sed maximè de potestate quæ clausula sua appellatur: nam hæc erat per se necessaria ad hanc declarationem faciendam. Potestatis autem plenitudo in hoc genere nihil aliud est, quam quod potestas sit, ad docendum cum assensu Spiritus sancti, ac certitudine infallibili; ergo repugnat expressis verbis Pontificis dicere, illum esse locutum priuato sensu, & ut particularem Doctorem. Et hoc significauit idem Pontifex, quando veluti perstringens dictos impugnatores dixit; *Quin etiam nos supra dictamotum simili, & ex certa scientia, & de Appellata potestatis plenitudine decernentes, ac præcipientes, priuato sensu loquutos fuisse: ac tanquam priuatos Doctores non potuisse. Ac si diceret, quo nil poterat absurdius repugnari, magisque nostris verbis & intentioni repugnans.*

Corollarium tertium.

Damnans erroris aduersariorum sententiam.

Tertio igitur ex dictis inferitur, sententiam illam,

iam, quam ille impugnator defendit, & omnia, quæ ex illa intulit, & eo tempore valde temeraria fuisse, quod notavit Henriquez lib. 12. Summæ cap. 5. num. 6. & nunc iam non posse ab errore excusari. Nunc de doctrina agimus, non de persona, ob aliquam enim ignorantiam, vel inadvertentiam, possumus aliquando excusare personas, quarum iudicium ad nos non spectat, sed solum gradum certitudinis doctrinæ explicare. Quia ergo Summus Pontifex in Constitutione, *Ascendente Domino*. illos errores insinuat, & damnat, totam sententiam commemorare, & refellere necesse est.

Principale
asseritum
est, quod
hic error
sententia
perpetua
fundatur
in antiquis
distinctionibus.

Nunc ab
interrogantibus
non potest.

Prohibetur
subcom-
municatio
inter
religiosos.

XIII.

Atque idem sentiendum est de omnibus propositionibus, quas adversarii ex dicto principio inferunt, & in prædicta constitutione, *Ascendente Domino*. no indicantur. Prima erat Societatis scholares apostolicos aut probatos inter seculares esse, ac iurisdictioni Ordinarii subditos existere. Quia non sunt de corpore Societatis, nec Societates aut illius superiores ius aliquod in illos habent, aut ex vi votorum, aut à Summo Pontifice, quia ipse etiam tale ius non habet. Sed hæc omnia satis ostendunt, quam falsum sit principium ex quo inferuntur, cum in tot absurditates inducat, quamquam etiam illationes solidæ non sint, & in primis adversarii nomine Ordinarii videntur intellexisse, non tantum Episcopos, sed etiam seculares iudices, respectu eorum, qui nondum ordinati sunt: nam si non

sunt veri religiosi, neque etiam sunt clerici, erunt laici seculares, & consequenter ordinarii iudicibus temporalibus subiecti: quo nihil poterat cogitari absurdius, magisque repugnans communi sensui, & consuetudini totius Ecclesiæ ab initio huius religionis. Erravit autem huiusmodi impugnator, non solum in principio falso, scilicet, quod hi non sint veri religiosi, sed etiam in illatione. Novit enim religionum non sunt veri religiosi, & tamen gaudent privilegio fori, & exemptione totius religionis, quando sub illius obedientia vivunt, & in probatione versantur: ergo multo magis scholares Societatis in ea approbati, cum sub eius obedientia vivunt, & in ordine ad solennem professionem adhuc in probatione existant, gaudent privilegio fori, & exemptione totius religionis.

Falsum est
scholares Societatis tam-
porali iurisdic-
tioni subdi.

Deinde falsum omnino est, Societatem non acquirere ius in huiusmodi scholares, & erroris fundamentum fuisse videtur, quia hoc ius solum potest dari, vel acquiri, per votum solenne, eo quod non soli Deo, sed homini etiam sit; non autem per vota simplicia, qualia hæc sunt, quæ soli Deo sunt. Ac propterea Pontifex respiciens ad radicem huius deceptionis, duo respondet. Primum est, solennitatem voti sola Ecclesiæ constitutione esse inventam, quasi tacite diceret, non esse de substantia status religiosi, tum quia hæc substantia de iure divino est: tum etiam, quia sicut Ecclesiæ adiunxit illam solennitatem, ita etiam potest sine illa, statum religiosum approbare, in quo fiant, & serventur omnia, quæ Christus instituit cum alia determinatione, seu circumstantiis. De qua re copiose in tom. superiori dictum est, cum de voto simplici, & solenni, & de essentia status religiosi, in communi ageremus. Secundum est, qui hæc vota in Societate emittunt, se tradere, & divino servitio mancipare in religione à sede Apostolica approbata: ac si diceret, falsum esse per vota simplicia, non posse simul fieri traditionem, quæ per illa contrahitur: & consequenter, quamvis votum simplex non necessario fiat homini, non tamen hoc illi repugnare, eo scilicet modo, quo votum fieri potest homini, scilicet, materialiter tantum: nam promissio ipsa Deo fit, materia autem esse potest obedientia homini præstanda propter Deum. Quo etiam modo, & non aliter potest solenne votum fieri homini, siue præsupponat promissionem factam homini, siue non: utroque enim modo fieri potest, tam solenne votum, quam simplex, ut citato loco dictum est.

XIV.
Falsum est
Societatem
non habere
ius in illis,
ostenditur
ex duplici di-
stinctione.

Addo ulterius doctrinam illam omnino falsam esse, non solum in tam manifesto, & evidenti religionis statu, ubi traditio intervenit, & perpetua vota, quantis simplicia: verum etiam in alijs vivendi modis, qui sunt in Ecclesiâ, & in votis simplicibus, quæ vel sunt, vel fieri possunt purè, & sine traditione. Nam in primis votum simplex fit Deo, & consequenter consecrat Deo aliquo modo materiam de qua fit, & ideo eo ipso subiicit illam aliquo modo potestati Summi Pontificis, qui est Dei Vicarius, & ideo ad eum spectat procurare, & efficere, ut quicquid Deo debetur, ei solvatur. Ut v. g. in Hispania fuerunt multa vota simplicia de certa aliqua portione, vel elemosynæ Ecclesiæ Compellaneæ tribuenda, per quæ acquisitum est aliquod ius Prælati Ecclesiæ, & maxime Summo Pontifici ad cogendum, ut illa vota compleantur. Hinc etiam multa statuta sunt à Romanis Pontificibus de voto Hierosolymitano, seu Crucis signatorum in ordine ad observationem eius, ut constet toto titulo de voto, cum tamen votum illud simplex tantum sit. Et eadem ratione, si quis publicè voueret hospitali perpetuo servire, posset Pontifex

XV.
Eadem sal-
utas variis
exemplis ge-
neraliter o-
stenditur.

Pontifex, suo iure utens, illum compellere ad tale votum seruandum; ergo per vota simplicia potest persona specialiter constitui sub iure Pontificis, qui etiam poterit ius illud in aliam personam, vel congregationem transferre. Præterea nonnullæ sunt congregationes in Ecclesia, quæ non attingunt statum verè ac propriè religiosum, vel quia non faciunt, vel quia in illis non sunt vota perpetua, etiam ex parte vouentium, vel propter alias causas: & nihilominus approbatæ sunt à Pontificibus, vt viles, & honesti viuendi modi, & eximuntur per eosdem Pontifices à potestate iudicium ordinariarum, vt sunt in Lusitania Clerici congregationis Sancti Iohannis Euangelistæ, vulgo à Sancto Loyo nuncupati, & alij sunt multi similes. In eos ergo habet Pontifex peculiare ius, ratione cuius eos sibi referuat, & congregatio vnaquæque habet ius in personas quandiu in illa sunt, tanquam in membra sua, quæ gubernare potest, & corrigere, & ad vota seruanda cogere: ergo etiam extra statum religiosum est falsa illa doctrina, & contra Ecclesiæ consuetudinem.

XVI.
Eiusdem ratio à priori.

Ratio autem à priori est, quia etiam per hos viuendi modos, & per talia vota dicantur personæ cultui diuino, pro illo tempore, seu quandiu in eo viuendi modo perseuerant, & ad illum cultum specialiter obligantur. Atque hoc satis est, vt sub Pontificio iure specialiter constituantur, & consequenter vt sub eius peculiari protectione, ac regimine recipi possint, ac subinde eximi à iurisdictione ordinariarum, non tantum spiritualium, sed etiam temporalium, etiam quoad personas non habentes ordinem clericalem. Quia quicumque titulus diuinus (vt sic dicam) seu spiritualis, sufficit vt Pontifex possit eximere à potestate temporalis personas laicas: nam sub ea ratione Ecclesiasticæ reputantur. Sic enim exemptio clericorum iure pontificio facta est iuxta probabiliorē sententiam, quam libro 4. defensionis fidei ostendimus, & videri potest Coar. in practica. quæst. cap. 31. Et eodem iure facta est exemptio religionum, etiam quoad nouitios, siue à iurisdictione seculari, siue (quod facilius est) à iurisdictione Episcoporum: cur ergo non potuit hoc facere Pontifex etiam in his membris Societatis. Potuit ergo, & multò antè fecit Paulus III. dicens, Societatem, & vniuersos illius socios, & personas illorum ab omni superioritate, iurisdictione, & correctione quorumcumque Ordinariarum eximimus, & liberamus. Et tamen hic aduertendum, duplicem potestatem habere Prælatus religionis in subditos, scilicet, iurisdictionis, & dominatiuam. Priorem habet hodie à Pontifice, vel olim ab Episcopis. Posteriolem habet ex vi ipsiusmet professionis ab ipso proficiente. De hac ergo posteriori procedunt, quæ diximus: nam quoad illam tam efficax est traditio, quæ per dicta vota in Societate fit, quam quælibet professio. De priori verò res est manifesta ex bullis Pontificis; sed de illa iurisdictione, & actibus eius infra ex professo disputandum est in lib. 10. à c. 4.

XVII.
Secundum illatum.
Tertium illatum.

Alia illatio illius auctoris erat: non obstantibus his votis Societatis, posse scholares approbatos ad quemcumque regularem ordinem, liberè transire, inuitis suis prælatis. Et altera huic annexa erat. Etiam si omnino à religione deficiant, & ad seculum transeant, posse à quocunque confessario per bullam Cruciatæ absolui, & ab Episcopis iure ordinario dispensari, vt in seculo maneant, vel vxorem ducant: nec per hæc omnia fieri aliquam iniuriam Societati, etiam per apostasiam ab illa. Sed hæc omnia, quatenus ex prædicto fundamento procedunt, eandem ferè censuram merentur, & ita ab eodem Pontifice, eodem modo reprobandur, & ab alijs antiquioribus Pontificibus sunt vel expressè, vel virtute damnata. Nam in primis Paulus III. in §. sua

bullæ anni 1549. specialiter prohibet: ne quis post emissam votum secundum constitutiones prædictas, siue professus, siue scholaris, siue conditor Societatis sit, ad quemcumque ordinem etiam per sedem prædictam approbatus, Carthusiensem, aut dictæ sedis licentia transire valeat. Aut ergo hoc potuit Pontifex statuere, aut non potuit. Hoc potest. Eiusdem ratione dicere sine dubio esset erroneum contra Pontificis potestatem, & sententiam, sine vilo fundamento: si autem potuit: ergo post illud decretum omnino falsa erit illa doctrina, in d. & erronea, si sensus erat, non obstat illo decreto, licitum esse transitum illum. Quod si oppugnator ille responderet, se ignorasse decretum illud, excusari quidem posset ab errore, non tamen à temeritate, quod de re adeo graui, & animarum salutis adeo nociuæ, dependenteque à speciali iure particularis religionis, iudicium protulerit sine sufficienti notitia instituti approbationis, & priuilegiorum talis religionis: quod quilibet prudens Theologus maximè cauere debet. Confirmari hoc potest ex bulla Pij V. *Dum indeffessè*, in qua declarat Societatem, & singulas eius personas verè & non fictè mendicantes esse, & frui omnibus & singulis dispositionibus, favoribus, & bullis gratijs, tam à iure, quam ab homine religionis mendicantibus concessis. Vnum autem ex his favoribus & gratijs est: vt mendicantibus non liceat transitus ad alias religiones non mendicantes, sub pena excommunicationis latæ sententiæ iuxta constitutionem Martini V. in Concil. Constantiensi, quam refert Antonin. 3. p. tit. 2. 4. cap. 71. Et similem Benedicti XII. refert Tabien. verb. *religiosus*. §. 23. Ergo etiam ante Gregorij constitutionem ex villius bullæ Pij V. erat falsum prædictum illatum.

Diceret fortasse: illationem illam intelligendam esse ex vi votorum, & iure ordinario, non tamen propterea excludi, quin ex peculiari priuilegio Pontificis prohiberi possit. Sed hoc in primis declarandum fuisset: quantum enim ex declaratione Gregorij colligitur (proprium enim opus harum impugnationum ad manus non venit) simpliciter videtur ille Theologus asseruisse, eo tempore id fuisse licitum. Deinde interrogo, quo sensu dicatur ex vi votorum talium votorum, licitum esse transitum, seculæ specialis prohibitione. Nam etiam in quacunque alia religione licet transitus, non tamen indistinctè, sed ad strictiorem, non verò ad laxiorem, quia votum maioris boni non potest commutari in minus, propria autoritate: neque etiam ad æqualem, vel quia commutatio in æquale fortasse requirit etiam authoritatem superioris: vel certè propter ius acquisitum priori religioni, quo priuari non debet, nisi vbi maius bonum ipsius religiosi intercedit. Videtur ergo sensus illius asseritionis fuisse in hoc gradu Societatis licitum esse transitum indistinctè ad quamcumque aliam religionem in qua vota solennia emittuntur, quantumuis laxa, & remissa sit. Et hoc etiam omnino falsum est ex vi ipsorum votorum, & seculæ specialis prohibitione Pontificis. Primo, quia vt ostensum est, etiam per hæc vota est ius acquisitum religioni. Secundo, quia probatum est, etiam per hæc vota constitui verum, ac proprium religiosum, qui comparatus ad alium statum constitutum per vota solennia, potest esse multò strictior & perfectior illo: nam licet excedatur in solennitate voti, & in modo obligationis ex parte religionis, excedere tamen potest in perfectione finis, & mediorum, & in materia votorum substantia, & in rigore obseruantie ac disciplinæ religiosæ, qui excessus maior sine dubio est, magisque periculosus ad perfectionem animæ, & ad cultum Dei: nam solennitas voti extrinsecum quid est, pendens magis ex constitutione extrinseca, quam ex voluntate propria. Obligatio autem ex parte religionis, vel

Vel carentia eius, non minuit voluntatem, & obligationem ex parte religioni se tradentis, imò reddit illam quodammodo magis liberalem, vt c. 2. nu. 2. dicebam. Ergo hic status religiosus Societatis cum quacumque religione alia in hoc conuenit, quòd seclusa speciali concessione, aut prohibitione Pontificis, quòd ab illo ad strictiorem statum licitus esset transitus, non verò ad laxiorem, vel aequalem, etiam si vota eius sint solennia: nam hæc sola circumstantia non reddit statum strictiorem. Quod quidem satis confirmant Pontificia indulta: nam si generatim, & ex vi talium votorum status in quo sunt vota solennia, esset strictior, & gravior Deo, iniunctum planè fuisset hunc transitum vniuersaliter prohibere: ergo signum est illam circumstantiam ex mente Pontificis non multum referre, nisi ubi cetera paria essent. Tandem inuare potest, quòd hi scholares approbati, non solum tria vota substantialia in suo gradu emittunt, sed etiam promittunt professionem facere in Societate, quando iussi fuerint: non ergo possunt promissionem illam implere in quacumq; alia religione laxiore.

XIX. Solum posset hic aliquam dubitationem habere, An professio facta in alia religione, non obstantibus prioribus votis Societatis, sit valida, esto sit illicita? quòd etiam non habet dubitationem de facto. Quia si rectè ponderentur omnia verba Pauli III. irritam significant esse illam professionem, idque expressè declarant Pius IV. & Pius V. in bulla anni 1565. quæ incipit, *Aequum reputamus*, & videri potest compendium priuilegiarum Societatis verb. *Apostata* §. 5. & 9. Sed dubitari potest ex natura rei, & ex vi talium votorum. Est enim communis doctrina D. Thom. & à nobis tom. præced. tractata, eum qui habet simplex votum religionis strictioris, proitendo in laxiori, malè facere, factum tamen nihilominus tenere, ita vt obligatio prioris voti omnino extincta maneat. Posset ergo quis cogitare, ita fore in Societate, secluso speciali iure pontificio: & potest ita suaderi. Nam qui vni rem aliquam promittit, & eam postea alteri tradit, licet malè faciat, donatio tamen tenet, sicut tenet matrimonium cum vna, post sponsalia de futura cum alia, vel post votum simplex castitatis. Ita verò comparatur professio ad vota simplicia: ergo ex natura rei valida esset professio post vota simplicia castitatis, si per Ecclesiam irrita facta non esset. Nihilominus probabilius censeo, sicut secunda professio facta in religione, non magis stricta vel perfecta, inuita alia religione, in qua prior professio præstata, irrita est ex natura rei, vt ex citato tomo suppono. ita professionem factam ab scholari approbato Societatis in quacumque religione laxiori, seu minùs perfecta esse ex natura sua irritam. Ratio est, quia professio secunda in priori casu non est inualida propter propriam solemnitatem votorum in priori professione, sed propter traditionem ratione cuius sit, vt secunda professio sit donatio rei alienæ, & in perpetuum iam tradita ad vsum eiusdem generis, nulla subintellecta conditione, vel exceptione, nisi de religione seu statu perfectiori. Sed quoad hanc traditionem ex parte religiosi se donantis, & quoad ius acquisitum ipsi religioni: equalis est hæc admissio scholarium cuiuslibet professioni: Nam verè se tradunt Societati in perpetuum, & ipsa eos acceptat, vt ex forma vouendi patet, & ex declaratione Pontificum Pauli III. Iul. III. Gregor. XIII. Ergo, &c.

XX. Atq; hinc tandem constat, quàm falsa sint omnia, quæ in altera illatione subiunguntur. Nsm vt ab ultimo puncto incipiamus, cum ostensum sit Societatem acquirere speciale ius dominatium in scholares Societatis, medijs eorum votis, euident est, non posse huiusmodi scholares inuita Societate illam

deferere, sine magna eius iniuria, quia priuant illam suo iure, sicut qui se alteri donauit in seruum, non potest fugere sine iniuria Domini, & qui rem suam alteri donauit, non potest eo inuito illam surripere sine iniuria eius ac vero facto.

Deinde euidenter falsum est ab hoc peccato apostasie, posse huiusmodi transigam liberè absolui à quocumque confessario, tum quia ibi manent verè religiosi, & ideo subiecti in foro etiam penitentiae Prælati suæ religionis, sine quorum facultate non possunt alijs confiteri, nisi à Pontifice illam habeant. Per bullam autem Cruciatæ illa non habetur, vt ex tract. 8. lib. 2. nunc suppono, idque maximè respectu apostatarum, & in tantum detrimentum religionis: videri etiam potest compendium priuilegiarum Societatis verb. *Absolutio* §. 11. Tum etiam, quia in bullis Pontificijs declaratum est, illud esse verum peccatum apostasie à religione, quæ iure communi habet excommunicationem annexam, à qua non potest vllus confessor absolui: quam contra hos apostatas specialiter tulerunt, & sibi referuarunt Pius IV. & Pius V. in bulla, *Aequum reputamus*. & habetur in citato compendio verb. *Apostata* §. 1. & 2. cum alijs. Tum denique, quia illi quando in eo statu permanent, in statu damnationis sunt, vt rectè dixit Caietan. in communi de apostatis loquens verb. *Apostata*. & ideo in eo statu permanentes, à nemine possunt absolui, ne dum à quolibet confessore. Si autem ad mentem redeant, ad suos superiores recurrere debent, vt ab eis absoluantur. Nisi fortasse ob necessitatem aliquam urgentem iuxta communem ius absoluiendi essent: Nam tunc non virtute bullæ Cruciatæ simpliciter absoluiendi sunt, sed sub obligatione comparandi.

Denique falsum conuincitur, posse Episcopos cum his apostatis, vel religiosi dispensare. Quis enim vnquam dixit, posse Episcopum iure ordinario facere ex religioso, non religiosum per dispensationem, aut ex mendicante, non mendicantem? Si autem sunt verè ac propriè religiosi, vt ostensum est toto capite præced. ergo. Deinde, licet Episcopus possit dispensare in voto simplici, non tamen in traditione, & donatione Deo facta, & religioni propter ipsum: & ideo in alijs religionibus non potest dispensare cum oblati, seu conuersis, qui se verè ac propriè religioni donarunt, etiam si propriè religiosi non sint, ex defectu votorum: sed hi religiosi Societatis verè se tradunt & perfectiori modo & cum votis sufficientibus ad statum religiosum constituendum, ergo. Præterea, Episcopus non potest iure ordinario dispensare in votis religionis, & totalis castitatis perpetuæ: sed hi religiosi emittunt in primis votum totalis castitatis, & præterea promittunt ingredi Societatem professam, quæ promissio re vera est votum religionis, vt etiam declaratum fuit in 3. Congregatione Can. 2. diciturque latius lib. 4. cap. 16. & 17. ergo non potest Episcopus in eis dispensare. Neque obstat, si quis respondeat hæc vota includere conditionem, ac proinde non esse reseruata, quia tom. superiori diximus, votum castitatis, non esse reseruatum nisi sit absolutum: respondetur enim in primis promissionem illam ingrediendi Societatem professam, solum includere conditionem hanc, si ipsa Societas voluerit illam admittere: hanc autem conditionem planè includit omne votum religionis: est ergo illud tam absolutum votum religionis quàm esse potest. De voto autem castitatis fatemur, non absolute fieri, sed vt annexum tali statui, & ideo includere tacitam determinationem, dum ille status durauerit. Hic autem status est omnino extra potestatem Episcoporum: ergo & votum quo constituitur, seu quod illi annexum est. Tandem hæc persone sunt

XIX. Item à nemine possit absolui, quomodo ipsa Societate vel Papa.

XXII. Item non potest Episcopus cum votum castitatis dispensare, ostenditur quadrupliciter.

sunt omnino extra iurisdictionem Episcoporum, ut est notissimum. Quomodo ergo possunt Episcopi eorum statum mutare, aut in eorum votis dispensare.

XXIII.

Tertium illarum negans commutari posse vota in seculo facta in vita scholarum Societatis, duplicem sensum habet. Primo, Prior sensus negans propriam commutationem impugnat.

Ultima illarum dicti oppugnationis erat: Non posse vota in seculo facta in hac tria vota scholarum Societatis, seu statum illorum commutari. Hæc verò propositio duplicem potest habere sensum. Vnus est, etiam per modum commutationis, non posse ex intentione ipsiusmet videntis, vel ex ordinaria potestate confessorum, aut Prælatorum Societatis præcedentia vota in hæc commutari. Alius est, hunc ingressum, seu incorporationem in Societate non habere vim extinguendi omnia præcedentia vota, quam habet professio cum votis solennibus. Prior sensus, simpliciter loquendo, falsus est, & ita reprobat Gregorius XIII. dicente; *Insuper asservitur, non posse vota aliqua in seculo emissam tria hæc substantia Societatis commutari, cum tamen hæc vota sint status, ut profatur, religiosi adeo utilis, & perfecti, ut illam hæc possint: hæc verò in aliorum ordinum eorum solennia vota commutari sit ab hac sede iussu de causis interdictum.* In quibus verbis duæ rationes indicantur. Prima est, verus status religionis, & præsertim tam perfectus, melior est, & gratior Deo, quam observantia cuiuslibet voti in seculo emissi: sed hæc vota constituunt talem statum, ergo in illa possunt qualibet vota seculi commutari. Alia ratio est à posteriori, seu fundata in iudicio sedis Apostolicæ; nam vota seculi possunt commutari in vota solennia religionis: sed hæc vota Societatis iudicata sunt à sede Apostolica adeo perfecta, ut veterit illa in solennia alterius religionis, præter Carthusiam, commutari: & consequenter illa ut paria ad minimum æstimaverit: ergo etiam illa iudicavit talia, ut in illa possint vota seculi commutari.

XXIV.

Notationes pro enumeratione dictarum commutationum.

Vota in seculo incommutabilia votis scholarum per hæc ipso iure suspenduntur.

Quid de votis compositibilibus.

Hæc autem ipsa commutatio duobus modis intelligi potest. Primò, ut ipso iure fiat; ex intrinseca scilicet vi talium votorum, vel certè ex aliquo privilegio iuris. Secundò, ut fiat ex intentione ipsius videntis, qui præcedentia vota vult in hæc tria commutare. Deinde potest intelligi hæc commutatio vel simpliciter, vel secundum quid. Simpliciter appello quòd priora vota omnino extinguuntur: secundum quid, quando tantum suspenduntur. Deinde suppono, quædam esse vota præcedentia hunc statum, quorum observantia repugnat tali statui, & observationi eius, atque de his nulla est difficultas, quin saltem suspendantur ex vi talis status, & horum votorum quavis simplicium: & quòd hæc vota licet & sanctè fiant, & consulenda sint fieri non obstantibus aliis votis præcedentibus: nam quoad hoc hæc vota æquiparantur professioni: Quia & constituunt statum de se perpetuum, & valde perfectum, cuius observantia longè maius bonum est, quam sit executio aliorum votorum. Item quia talia vota suspenduntur ipso iure per primum ingressum religionis, etiam per novitiatum, ut in tom. super. ostendimus; ergo multo magis suspenduntur per statum religiosum illis tribus votis firmatum. An verò omnino etiam auferrantur, statim dicetur in num. 26. Alia autem sunt vota, quæ possunt optimè in religione impleri & nihil impediunt religiosam observationem, seu disciplinam, sed illi aliquid addunt. Et de his etiam est certum posse, ex voluntate alicuius, qui potestatem habeat commutandi pro eo tempore, quo talia vota duraverint suspendi per quandam commutationem secundum quid, seu pro eo tempore. Probatur, quia talis commutatio evidenter est in melius, ille enim status quandiu durat, multò melior est, quam particularia vota, quæ in seculo fieri possunt. Dices, melius est utrumque simul servare, cum fieri possit. Respondetur, non teneri quem-

piam ad omne id quod melius est, & sæpe non expedire obligationes accumulare. Atque hinc, ut talis commutatio fieri possit propria autoritate ipsius videntis, quia commutatio in melius ita fieri potest, ut supra dixi, & ex professo in lib. 6. de voto cap. 18. Oportet tamen ut ipse vovens intendat talem commutationem facere, quando hæc tria vota emittit: Nam postquam aliquis plura vota fecit sine commutatione, non potest postea sua voluntate unum in aliud commutare, quia iam viroque oneratus est. Deinde potest hæc commutatio fieri per prælatos Societatis, quia cum possint dispensare, ut suppono, multo facilius poterunt commutare: sed oportet etiam advertere, si talis commutatio fiat in aliqua opera religionis, illa manere sub obligatione voti, cum tamen alias solum fortasse essent sub directione regule, & ideo melius est, ut simpliciter dispensentur pro eo tempore: vel à principio commutentur in ipsamet tria substantia vota, & religiosum statum, nullam illis addendo obligationem voti, ad specialia opera, quod sine dubio fieri potest. Imò etiam ipso iure Societatis factum videtur. Nam in prima congregatione generali Can. 22. de omnibus votis in seculo factis præterquam religionis determinatæ dicitur, in Societate suspensa, *scilicet, etiam si per professionem non tollantur, & ita obligentur eorum iussu, dum persona in Societate manet.* Quod merito ita factum est: nam omnes rationes, quibus D. Thom. probat præcedentia vota, per professionem tolli, probant expedire, ut scilicet per hæc vota suspendantur, ut facile conficit legenti ea, quæ in tom. super. de illo puncto tractavimus.

Difficultas verò est, an etiam commutatio simpliciter hoc locum habeat, ita ut licet contingat scholarum approbationem ei in Societate, non reuertatur obligatio priorum votorum. Ad quam breviter respondendo, ex intentione videntis posse fieri, talem commutationem, non tamen fieri ipso facto, aut iure, nisi intendatur. Ratio prioris partis est, quia hic statum cum his tribus votis, eo modo quo sunt perpetua ex parte videntis, licet ex parte religionis aliquando auferri possint, sunt bonum melius, & perfectius, quam omnia vota in seculo facta, etiam si haberent materiam duraturam per totam vitam: quia per illam obligationem persona multo magis consecratur Deo, & ferè moraliter continget, ut opera facta in tali statu, intra vnum annum sint meliora, & gratiora Deo, quam essent futura omnia opera aliorum votorum, etiam si obligatio eorum per totam vitam esset duratura: ergo licet, & valida est talis commutatio, non solum si auctoritate superiorum fiat, quod est manifestum, sed etiam propria voluntate. Ratio verò alterius partis est, quia licet is qui habet votum inferioris boni, faciat votum de alio bono meliori, non incommensibili priori, si non intendit specialiter commutari unum in aliud, non commutat ex vi talis facti, sed multiplicat vota: sed ita est in præsentibus, ergo ex vi talium votorum non fit commutatio, & consequenter nec iure naturali fit: quia hoc nullum est aliud, nisi quod natura talium votorum postulat: Neque etiam iure positivo diuino, vel humano, quia nullum tale est. Quin potius in dicto Can. 22. significatur talia vota in seculo facta non omnino auferri nisi per professionem, quod intelligo ipso iure, seu ex sola intrinseca vi talium votorum: non verò quòd non possint auferri ex absoluta commutatione intenta à vidente.

Et quantum ad hoc posset aliqua differentia constitui inter hæc vota scholarum, & professionem probabilius simpliciter dictam. Nam per professionem probabile est extingui omnia priora vota ipso facto & ita, ut absque alia commutatione à proficiente intentata, Si autem

differentia aliqua inter vota scholasticorum Societatis, ac professionem.
Si autem hoc convenit professioni (res enim non certa) id non provenit ex solo iure naturæ, neque ex aliquo iure scripto, quod sufficienter id declararet, sed adiuncta communi consuetudine, & traditione Ecclesiæ, quæ omnia in tom. super. latè probavi, & declaravi. Quia ergo hæc admissio scholasticorum in Societate non est absoluta professio, & secundum præsentem statum Ecclesiæ est nouo iure introducta, ideo non videtur ad illam extendendus hic effectus, qui maxime in consuetudine fundatur, cum illa consuetudo solum in proprijs professionibus locum habeat. Maxime cum inter statuta Societatis in prædicto Canon. 22. fiat in hoc differentia inter hæc vota simplicia & professionem, quæ non potest in alia re constitui, quod ad præsens attinet, nisi quod professio extinguit ipso facto priora vota seculi: status autem scholasticorum solum ea suspendit, nisi alia via per dispensationem, vel commutationem ab homine, vt ita dicam, aufertur. Si igitur oppugnat ille solum hanc differentiam constituere voluisset, non cum illo contenderemus. Quia verò absolute dixit, non posse vota in seculo emissã, in tria hæc substantialia Societatis commutari: ideo hæc assertio non minus quàm alia reprobatur. Maxime cum eò semper tendat, vt hunc statum eleuet, & adeò diminueat, vt sentiat sufficientem non esse, vt in illum vota seculi commutari valeant.

C A P V T V.

An prædicta scholasticorum approbatorum admissio in Societatem, dicenda sit professio?

Concluditur contra auctores tertij vtriusq.
Vnum pro- fessionis significatum.
Iuxta hoc significatum procedit ratio dubitandi 3. p. 1. p. 1.
I. Spere est explicemus, an hæc admissio, & incorporatio scholasticorum approbatorum in Societate, non solum constituat illos in vero statu religioso, vt hæcenus probatum est, sed etiam (vt rationi dubitandi initio capitis tertij posita omni ex parte satisfaciamus) dicenda sit vera professio, & ita possit simpliciter appellari. Quæ licet videatur quæstio de vñ vocis, tamen ad intelligentiam iurium, potest esse necessaria: nam quod ad rem spectat, facile poterat distinctione expediri. Primo enim si nomine professionis religiosæ intelligatur traditio omnino absoluta, & votis solennibus firmata, atque ad eò indissolubilis per potestatem intrinsecam religionis, sic dicendum est hanc admissionem non esse professionem, quia re vera illi non convenit prædicta descriptio, vt hæcenus probatum est. Atque in hoc sensu, in eodem Societatis instituto, ac bullis, & constitutionibus eius distinguitur gradus scholasticorum à gradu professorum, & admissio illorum, ab horum admissione: & vna vocatur professio, non tamen alia, vt constat ex 5. part. Constitut. cap. 1. per totum, & sæpe in sequentibus: vnde in forma ipsa vouendi qui proficitur, expressè dicit: *Ego professionem facio*: alij verò minime. Et iuxta hanc significationem vocis, ad difficultatem tactam respondendum est, negando statum religionis solum constitui per professionem in hoc rigore sumptam: potest enim per aliud genus admissionis, à nobis explicatum verè, ac propriè constitui. Quia verò iura canonica, & interpretes eorum, ac ceteri Doctores loquuti sunt de statu religioso ante Societatis approbationem, quo tempore per solam professionem in eo rigore sumptam religiosi constituebantur, ideo absolute dicunt per professionem constitui verum religiosum. Dicunt etiam professionem esse necessariam secundum illum statum Ecclesiæ, in quo alius modus non erat in vñ, neque approbatus: & eodem sensu cum aiunt Franc. Suar. de statu relig. tom. IV.

ante professionem non esse verum religiosum, solum intendunt dicere susceptionem habitus, seu primum ingressum, vel nouitatum non sufficere ad constituendum verum religiosum, donec fiat professio, per quam incorporaretur quis religioni: tunc enim non erat alius incorporandi modus. Secundò, quia nouissime in Can. 26. Congreg. 7. *Professionis* vox latius aliquantò sumitur, dum sub eo nomine distinguuntur vota formatorum coadiutorum à prædicta approbatorum scholasticorum admissione. Sic planè etiam admissio hæc non dicitur professio. Vnde similiter ad præsentem difficultatem negabitur consequentia, religiosum scilicet statum constitui per professionem solum eo etiam latiori modo sumpta professione.

Potest verò tertio accipi vox illa *professio* vel *giosa* generalius pro quacunque firma, ac stabili vñone cum religione approbata, per traditionem, & vota substantialia religionis per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè admissam. Et hoc modo dicendum est, hanc scholasticorum admissionem in Societatem esse veram professionem, vt ex dictis constat. Sic etiam generaliter pro quocunque tempore, & tam de facto, quàm de possibili verum est, per omnem professionem huiusmodi, & per solam illam, verum, ac proprium statum religiosum constitui. Quod etiam ex hæcenus dictis notum est. Nec verò hæc significatio illius vocis aliena est ab eius proprietate, & communi vñu, & ab vñu multorum Doctorum: Nam iuxta Latinam proprietatem *profiteri* generaliter significat, vel palam ac publicè promittere, vel munus aliquod publicum cum aliqua solennitate suscipere, quomodo dicitur quis proferri militiam, aut magistrum Theologiæ scholasticæ, vel sacrarum literarum, aut Iuris prudentiæ, &c. Sic etiam D. Thomas 2. 2. quæst. 184. artic. 5. ait, Episcopum cum assumit Episcopatum, solennem professionem facere, vbi constat non loqui de solenni professione prout à religiosis fit, sic etiam Concil. Toletan. II. cap. 1. de subdiacono dixit, admitti posse vigesimo anno ætatis, habita probatione sue professionis. Præterea Innocent. in cap. *per eum*, de regular. professionem validam vocauit illam, quæ fit extra claustrum, & in manibus alicuius, qui non habet potestatem incorporandi religioni, quanuis solum habeat vim voti simplicis. & ibi Antoninus, à quo non multum dissentit Abbas n. 12. ita etiam loquitur de professione facta in manu Episcopi, cum tamen fateantur illam non constituere verum religiosum, sed solum esse votum quoddam simplex, & cum solennitate quadam accidentali emissum. Et Palud. in 4. d. 38. q. 3. in fine, non dubitat professionem tacitam vocare *professionem*, quamvis dubitet, an talis professio reddat inhabilem ad matrimonium. Cum ergo hæc incorporatio scholasticorum in Societate, publica sit non solum promissio, sed etiam traditio, atque assumptio religiosi status, & iam nunc reddat personam inhabilem ad matrimonium, meritò possit appellari *professio*. Vbi de sensu constaret, quod sc. in hac generali significatione, & non in alia rigorosa, & quasi specifica sumitur.

An verò iura quæ loquuntur de professione religionis, comprehendant hanc admissionem scholasticorum Societatis: nec parum refert, nec facile definiri potest. Primum constat, quia ex illo pendunt quæstiones plures, vt an omnia, quæ iura requirunt ad professionem, requirantur ad hanc admissionem, vt talis ætas, tantum probationis tempus, &c. Item an metus reddat nullum hunc ingressum, sicut reddit nullum illum ingressum, & sic de alijs. Denique inde etiam pendere videtur, an hi scholares in iure comprehendendi sint sub nomine regularium, seu religiosorum: nam hæc duo, profess-

II. Alterum significatum iuxta quod etiam satis fit prædicta rationi diligendi.

III. An in iure nomine professionis gaudeant scholares Societatis, acque adeo nomine regularium, & religiosorum.

professus, & regularis, seu religiosus videntur esse in iure æqualia, seu ad conuertentiam dici. Secundum declaratur, quia omne ius antiquius approbatione Societatis, per professionem sine dubio solum intelligit illam, quæ tunc erat in usu iura autem posteriora non mutant significationem vocis: sed in eodem sensu loquuta sunt: ergo nulla comprehendunt sub illa voce, nisi professionem illam, quæ per solennia vota fit. In contrarium autem est, quia multa sunt in iure attributa religiosæ professioni, quæ in hanc etiam scholarum admissionem conueniunt, & alia communi voce non significantur. Item quia nomen *religiosæ* commune est his personis: ergo & nomen professionis, iuxta usum iuris, debet esse commune.

IV.
Affirmandum
in fauorem
Bilebui.

Distinctione vtendum censeo: aut enim iura loquuntur de gratijs, & fauoribus concessis religiosæ professionis: aut de rebus odiosis, seu quæ rigorem continent. Si sermo sit de prioribus, extendenda censeo ad vota scholarum Societatis, atque adeo sub nomine *professionis* comprehendendi etiam hanc scholarum incorporationem. Hoc in primis colligo ex generali regula Innocentij, Panormitani, & aliorum in Rubric. de regular. qui dicunt sub nomine *religiosæ*, quoad fauorabilia plures comprehendendi, qui varijs modis diuino cultui omnino dicati sunt, quantum non sint solenniter professi: ergo multo magis sunt extendenda similia iura ad hos religiosos Societatis, qui non vtunque sunt diuino seruitio mancipati, sed tanquam veri, & proprii religiosi: ergo eadem ratione fauores, & gratiæ, quæ conceduntur iure communi, vel regularibus sub hoc nomine, vel *religiosis*, vel etiam *professis* sub his hominibus. extendi debent ad prædictos scholarum: erga eadem proportionem loquendum est de professione, & de incorporatione horum scholarum, quoad fauores, & gratias. Secundo & principaliter id colligo ex motu proprio Pij V. qui incipit, *Dum ind. fissa*. vbi cum dixisset, omnes, & singulas personas Societatis intra religiosos mendicantes, verè, & non fictè numerari debere, subdit: *A quo omnis, & singulas tam iuris quam hominum dispositiones in fauorem religiosorum, seu fratrum mendicantium, nunc & pro tempore, et in alias, et tam in Societate, illiusque domibus, Collegijs, Præpositis, & alijs religiosæ locum habere.* Quam concessionem statim extendit ad omnia priuilegia, etiam specialissima, immunitates, exemptiones, &c. Et semper loquitur de omnibus, & singulis personis Societatis, sub quibus sine dubio scholares approbati comprehendit; nam ideo domibus Collegia semper adiungit, vt de omnibus personis, quæ sunt illorum membra, se loqui significet. Et hanc declarationem amplius explicuit, & confirmauit Gregor. XIII. in bullis sæpè citatis.

V.
In non fa-
uorabilibus
distinguen-
dum.

Si autem loquamur de his, quæ professioni, vel religioso professo, de rigore iuris tribuuntur, vel ad ea quæ odiosa sunt, spectant, vt v. g. cum excommunicantur religiosi, qui hoc, vel illud fecerint, vel qui professionem hoc, vel illo modo faciunt, & similia: tunc vterius considerandum est, an res illa, de qua ius loquitur, peculiari modo respiciat, vel fundetur in solennitate professionis, vel solum respiciat statum religiosum, vt sic, & professionem quatenus illum constituit. Nam in iuribus, quorum materia est prioris generis, sub professione non potest comprehendendi hæc incorporatio scholarum approbatorum Societatis: quia in tali incorporatione deest fundamentum talium iurium, quod est solennitas professionis. In iuribus autem, quorum materia est posterioris generis, tunc sub nomine *professionis*, hæc enim incorporatio comprehendenda videtur. Exemplum prioris partis est in cap. vnico de voto in 6. vbi dicitur votum solen-

nizari, quantum ad impediendum matrimonium, per professionem expressam, vel tacitam factam in aliqua religione approbata: ibi enim sub *professione* nomine in rigore non comprehendebatur hæc incorporatione scholarum Societatis: Nam ante specialem constitutionem Gregorij per votum castitatis in ea factum, non reddebatur persona inhabilis ad matrimonium, quidquid aliqui senserint: & licet nunc votum illud habeat hunc effectum, non est ex vi illius iuris communis, sed ex speciali iure Gregorij XIII. quo non obstante illud votum solenne non est, ex declaratione eiusdem Gregorij iuxta intentionem vouentium, & admittentium illud: ergo non comprehenditur sub dicto cap. vnico. ergo nec incorporatio hæc comprehenditur sub *professione*, de qua ibi sermo est. Sumitur ergo ibi *professio* strictè pro illo vinculo omnino absoluto, & indissolubili, quo secundum commune ius religiosi ligantur, & traduntur. Aliud exemplum de eadem re, existimo sumi posse ex Extrauag. vnica Ioan. XII. de voto, vbi qui post matrimonium ratum non consummatum sacrum ordinem suscipit, suspenditur, nisi professionem in aliqua religione approbata faciat: nam tunc per Diocesana conceditur ei dispensatio, à quo ad talem professionem admonendus dicitur. Ibi enim sub *professione* non intelligi comprehendendi hanc incorporationem nostrorum scholarum, nec per illam illi iuri satisfieri. Ratio est, quia intentum Pontificis ibi est, vt matrimonium ratum, quod per votum sacri ordinis solutum non fuerat, per aliud vinculum professionis soluat, vt sic solutus ab obligatione vxoris decenter possit in suscepto ordine ministrare. At verò per vota hæc scholarum Societatis non fit ille effectus, vt infra lib. 4. c. 2. dicam, sed est proprius votorum solennium: ergo per illa non satisfiit intentioni Pontificis in dict. text. sumitur ergo ibi *professio* strictè, vt solennitatem includit.

Alterius autem membri exemplum sumere possumus ex motu proprio Sixti V. in prædicta per rationem dubitandi, initio capitis tertij citato; proinde dum ait: *Tunc vbi, & proprie religiosi dicitur, et ubi cum professione emittuntur*: ibi enim solum tum *professio*, vt à susceptione habitus, id est, à primo ingressu seu nouitatu distinguitur: solumque illam considerat, quatenus est vinculum inter religiosum, & religionem, sufficiens ad verum statum religiosum constituendum: & ideo non dubito, quæ sub ea voce scholares Societatis comprehendit, & ita, quæ ibi circa professionem disponit, licet odiosa, & rigorosa videantur, ad hanc etiam incorporationem pertinent, vt consuetudo etiam declarauit, & mox dicemus. Atque ita etiam intelligendum puto cap. *religioso* de sentent. excomm. cum in 6. §. *Quantum*. vbi significatur priuilegium Canon. religionis si quis suaderit. in rigore iuris, solum conuenit religiosæ professioni: ibi autem speciali concessione extendi ad nouitios: nam sine dubio extensio illa necessaria non erit pro scholaribus Societatis, sed in rigore comprehendebantur sub Canone, quia veri religiosi sunt, vnde in verbis illius §. *Quantum* autem is, qui religionem ingreditur, religiosus censetur cum si non possit, donec sit ratum, vel expressè, vt fissa. sub *professione* comprehendenda est hæc incorporatio, qui ibi non consideratur professio, ratione specialis solennitatis, sed solum quatenus constituit verum religiosum, illumque à nouitio distinguit. Nec refert quod illud ius, & similia fuerint condita ante institutum Societatis, quia licet verum sit, tunc non cecidisse Societatem sub expressam intentionem sic loquentium, tamen confusè comprehensa fuit, quatenus generatim intendebat loqui de vinculo constituyente verum religiosum, quod

quod nomine professionis significabant, ut dixi, quia tunc non erat alius modus incorporandi in religionem: illud autem materiale est, & ideo non obstat, quominus sub formali decisione talis iuris, hic status comprehendatur, siue illa pertineat ad fauorem, siue ad rigorem.

VII.

Objectiones ex doctrina Nauarri contra hanc positionem tractantur, & refutantur.

Contra hanc verò partem posset quis obijcere multa, quæ Nauar. affert. conf. 6. de statu monach. ubi contendit sub nomine professionis monialium, non debere comprehendere quoddam oblatas sub quadam dispositione rigorosa: & illa occasione significat in simili dispositione professionis nomen nunquam debere extendi ad ea quæ propriè, & in rigore professio non est. Veruntamen si attentè legatur, loquitur de professione ut distinguitur ab omni oblatione, seu donatione personarum, quæ non constituit illam verè, & propriè religiosam, qualis erat in illis oblationibus, & tunc rectè procedunt omnia quæ adducit. Nihil autem nobis obstat, qui loquimur de vinculo constituyente verum, ac proprium religiosum, & ideo non putamus comprehendere sub talibus decisionibus iurium per argumentum à simili, vel à paritate rationis, sed per proprietatem religiosi status, & vinculi quo constituitur, de quo talia iura loqui intendunt, & sub illa ratione illum significat per talia verba. Quæ resolutio multis alijs particularibus exemplis declarabitur capite sequenti, & in discursu materie.

VIII.

Ad secundam confirmationem aduersarij respondetur.

Vltima confirmatio, & obiectio, contra prædictam veritatem, facta in eodem cap. 3. initio, sumebatur ex forma ipsa vouendi, & ex ipsiusmet verbis constitutionum Societatis, ad quam iam ex parte responsum est, omitti in illa forma verbum *profutendi*, quia iuxta communem vsum significare solet traditionem cum voti solennitate, & solum vsurpari verba *vouendi*, & *promittendi*, ut indicetur talia vota esse simplicia, non tamen propterea excludi veram traditionem personarum, quæ per eadem vota fit Societati, ut Gregor. XIII. declarauit. Et in ipsis constitutionibus erat alias sufficienter expressum, cum dicant, per hæc vota scholares admitti, & incorporari in Societate, & membra eius fieri, ut etiam in 1. cap. huius libri num. 4. inculcauimus. Quod autem in ea forma vouendi non exprimitur distinctè promissio, Prælati Societatis facta, sicut exprimitur in forma admittendi coadiutores formatos: nõ ideo est, quia in re ipsa scholares etiam non se obligant Societati, eiq; tradant ius in se ipsos, ut iam in c. 1. huius lib. nu. 7. attigimus, sed solum factum videtur, ad distinguendum gradum scholarium, à gradu coadiutorum formatorum: nam hi licet solennia vota non emittant, constituuntur iam in termino: neque ultra progredi debent in statu, seu gradu Societatis, ac propterea maiori quodam vinculo morali, cum ipsa Societate coniunguntur, & extra omne genus probationis constituuntur, & ipsa Societas artius obligatur ad eos retinendos perpetuo, nisi denuo per crimina, & contumaciam in illis reddantur indigni. Ad hoc ergo significandum illi expressè vota emittunt in manibus Prælati, cui se expressè obligant, & ipse eos admittit. Scholares verò licet incorporentur Societati, non tamen vt in eo gradu semper maneat, sed vt sic incorporati adhuc amplius probentur. Et ideo licet Societas debeat eos retinere, quandiu rationabilis causa dimittendi non subest, tamen ad hoc iudicandum liberior est, & minor causa sufficit, & ad eam explorandam probatio ordinatur: ad hanc ergo libertatem Societatis significandam, dicuntur vota illa non fieri in manibus Prælati, sed soli Deo, scilicet, quantum ad expressam formam promittendi, quantum implicitè, & in actu exercito (vt sic dicam) talis obligatio ex ipsa traditione, & incorporatione contrahatur. Et ob eam Franc. Suar. de statu relig. Tom. I. V.

dem causam fit ibi promissio ingrediendi Societatem, scilicet, quoad aliquem vltimum gradum & terminum eius, sic enim Societatis nomen eo loco sumitur, quod non obstat, quin alio modo eadem personæ, verè, ac propriè ex tunc incorporentur Societati, prout comprehendit omnia membra sua, iuxta ea, quæ de significatione huius vocis in lib. 1. cap. 1. num. 13. adnotauimus.

C A P V T VI.

Quæ conditiones necessariae sint ex parte vouentis, ut hæc vota scholarium valide fiant.

AD questionem hanc applicari possunt ferè omnia, quæ in toto libro de professione religiosa in genere latè diximus superiori tomo. Quauis enim hæc incorporatio scholarium non sit vera professio in rigore præcedenti cap. declarato: tamen quia cum illa conuenit in traditione, & in substantia votorum, atque adeò in contractu ex quo oritur vinculum inter religiosum, & religionem: solumque differt in modo obligationis ex parte religionis, & consequenter in absoluta perpetuitate, & indissolubilitate talis vinculi ex utraque parte: ideo multæ, & ferè omnes conditiones requisitæ ad valorem professionis, requiruntur etiam ad præsentem incorporationem: propter differentiam verò dictam: explicandum à nobis est an exceptio aliqua, vel limitatio, aut declaratio hic adhibenda sit, quod faciemus breuiter per singulas discurrendo. Prius tamen in genere duo animaduertunt. Vnum est, quasdam ex dictis conditionibus esse ex natura rei necessarias, propter morale vinculum, quod per professionem contrahitur, ut sunt vsus rationis, liber consensus, &c. Et de his indubitatum est, etiam in hac incorporatione esse necessaria, quia etiam hic contrahitur morale vinculum. Aliæ verò sunt conditiones requisitæ de iure positio, & de his potest esse res magis incerta. Ad iudicium autem ferendum applicanda erunt principia in superioribus tom. videlicet præceden. & in libro 2. cap. 3. posita. Alterum est: Conditiones quasdam requiri ex parte religiosi, alias ex parte religionis. De prioribus ergo in præsentem cap. dicemus, de posterioribus in sequenti.

Notationes ad præcedentia.

Prima conditio est, vt ante secundum ingressum præcedat integer annus nouitiatus. Et secundum huic similis est, vt professio non fiat ante expletum 6. annum ætatis. Quæ duæ conditiones, licet in antiquo iure fundamentum habeant, nunc maxime vigent, & necessariae sunt ad valorem professionis ex decreto Concilij Tridentini. sessio. 25. cap. 15. de regular. Dubitari autem potest, an decretum illud hæc etiam vota, & incorporationem scholarium in Societate comprehendat. Ratio autem dubitandi est, quia ibi solum loquitur de professione, & ad illam postulat illas duas conditiones, vnde subdit: *Professio autem antea facta, sit nulla*: hæc autem non est professio in toto rigore iuris: ergo cum illa lex rigorosa sit, restringenda est, vt hoc vinculum non comprehendat. Confirmatur, quia illud decretum irritans, ideo præcipuè factum videtur, quia professio semel valida, est absolute indissolubilis, & ideo difficile habet remedium, si semel validè fiat, quantumuis temerè, & inconsiderate fiat. At verò hoc vinculum scholarium Societatis non est ita indissolubile simpliciter: neque habet remedium adeo difficile: ergo non est cur sub illa lege comprehendatur. Nam hæc ratio declarat, decretum illud cadere in professionem

II. An duæ priores conditiones ad professionem requirantur etiam ad vota scholarium Societatis.

nem solennem quatenus talis est, & ideo non comprehendere incorporationem hanc iuxta regulam cap. præced. nu. 5. positam. Vel saltem quatenus hoc non sit certum, sufficit rem esse dubiam, vel lex illa quoad hanc partem coarctanda sit potius, quam extendenda. Propter quæ hæc pars, aliquando probabilis mihi visa est, quia vota simplicia, non solent ab Ecclesia irritari hoc genere irritationis antecedentis, ut superiori tomo in proprio loco explicavi: tota autem obligatio, quæ in hoc vinculo cum Societate nascitur, aut est votorum simplicium, aut non transcendit ordinem, & modum eius.

III.

Re tamen attentius considerata, verum existimo illas duas condiciones requiri ad valorem huius incorporationis, eamque sub nomine professionis fuisse ibi à Concilio comprehensam. Primum, quia decretum illud pertinet ad voti solennitatem, sed ad modum assumentis, & constituendi statum verè religiosum, ut satis significant illa verba: *In quacunque religione tam virorum, quam mulierum professio fiat.* Quod perinde fuit, ac si diceretur, Nemo ad religionem assumatur, vel religioni incorporetur: verba enim illa in omni proprietate hunc sensum admittunt. Intentio autem Concilij fuit in hoc modum ponere, & generalem regulam statuere pro omnibus religionibus, nec verisimile est, cum iam esset instituta, & approbata Societas, omnino illam prætermisisse, & liberam reliquisse, ut in quacunque ætate pubertatis, & sine probatione posset ad hunc gradum religiosus admitti: maxime cum hic status religiosus etiam quoad hunc gradum valde difficilis sit: & ex parte obiecti, seu materiæ, ac modi vivendi cum quocunque alio comparabilis, ut lib. 1. cap. 3. a. num. 4. & cap. 7. num. 6. ostendit: ex parte autem vinculi, licet videatur aliquantulum minus indissolubile, tamen illud totum est ex parte religionis, & in eius commoditatem: Concilium autem in hoc decreto consulere magis voluit commodis, & imperfectæ deliberationi ipsius religiosi, quæ non minus unicuique necessaria est in assumptione huius status, cum ex parte sua omnino se tradat & obliget, ac perpetuò ligatus maneat; nam si quod remedium adhiberi postea posset: illud solum est ex parte religionis, quando ipsa iudicaverit sibi convenire, nam ex parte religionis, solum illi superest remedium dispensationis, quod longè difficilius est in toto hoc statu, quam in quibuslibet votis simplicibus extra statum religiosum factis, ut in cap. 8. ostendamus.

IV.

Accedit quodd si Concilium voluisset Societatem ab hac regula excipere: id profectò aliquo modo insinuasset, sicut in cap. sequenti fecit excipiens Societatem à generali regula, quam traderat, ut expleto anno probationis, novitij, vel ejiciantur, vel ad professionem admittantur. Existimo enim illam exceptionem non solum, vel potius non tam fuisse positam à Concilio propter professionem solennem, quæ post multos annos in Societate fit, quam propter hanc incorporationem scholarum, quæ non post annum, sed post biennium fit. Nam solennis professio, ex ipsis verbis legis intelligi poterat excepta: quia lex illa solum loquitur de professione, quæ immediatè post probationem à novitijs fit, & per illam præcipuè voluit Concilium commendare, ut novitij aliarum religionum non diutius, quam per annum in novitiatu detineantur: in Societate autem nec solent fieri professio solennis immediatè post novitiatum, nec propter delationem eius detinentur novitij diutius in probatione, sed iam religiosi in quodam inferiori gradu, & ideo ex ipsa forma talis legis videri poterat non comprehensa Socie-

tas quoad professionem solennem. Præcipuè ergo videtur Concilium per illam exceptionem concedere, ut novitij Societatis ultra annum possint in probatione detineri, priusquam in quæcumque gradum huius religionis incorporentur: ergo nomine *professionis* intellexerat, non tantum professionem solennem, sed quæcumque receptionem ad verum statum religiosum: ergo etiam in superiori capite eodem modo de professione loquutum fuerat.

Deniq; quatenus hæc lex videatur rigorem continere, tamen re vera potius continet favoris gratiam: amplianda ergo est ad totum statum religiosum. Antecedens declaratur, quia quodd professio fieri non possit intra annum novitiatu, favor est religiosi, quodd autem non fiat ante certam ætatem, publicè utilitatem religionis respicit, ut dixit Navar. conf. 25. de regular. quod incipit, *In ordine Minorum*. Vel certè (ut ego existimo) utrumque redundat in utriusque utilitatem. Nam etiam est magnum commodum religiosi, ut non ligetur ante certam ætatem, in qua perfectius deliberare possit, sicut est commodum eius non posse ligari ante sufficiens vnius anni experimentum. Et è converso etiam hæc pars de integro anno novitiatu publica utilitas est religionis, quia non minus in eius favorem, quam religiosi introductus est novitiatu annus, iuxta cap. ad Apostolicam, de regular.

Tertia conditio ad professionem necessaria est, ut non fiat ex metu cadente in constantem virum, *Tunc ergo de qua conditione eadem dubitatio, quæ de præcedentibus tractari potest, quia, ut diximus, tom. super. hæc conditio non est necessaria iure nature ad valorem professionis, sed tantum iure canonico.* Et ideo dubitari potest an hic modus professionis, seu incorporationis nostrorum scholarum sub illo iure antiquiori comprehendatur. Eodem tamen modo affirmandum censéo. Primum, quia non irritans religionis professionem ex metu factam, fundatur in difficultate & proprietate status religiosi, quæ in hoc statu inveniuntur, quantum est ex parte obligationis, & mutationis vite ipsius religiosi. Secundo, quia caput vnicuique *de his quæ p.* in quo maxime illa conditio fundatur, licet in particulari loquatur de muliere, quæ monachalem habitum in vita susceperat, metu mortis monachatum ingrediens, nihilominus definitionem continet generalem, & in ea non consideratur, nisi *an sumit mortis religionem intravit*, ut in fine textus dicitur. Quæ verba generalia sunt, & cum omni proprietate in hunc ingressum scholarum conveniunt. Vnde obiter infero hos scholares approbatos etiam comprehendendi sub illo decreto Concil. Trident. sess. 25. cap. 19. de regular. *Quicumque regularis præstat seipsum per vim & metum ingressum esse religionem, aut etiam dicat se non esse ætatem debitam professionem fecisse, &c. non audiat se quatenus intra quinquennium, &c.* Nam idem quinquennium, vel potius existimo servandum esse ad similem, seu incorporationis horum scholarum: atque adeo nomine *professionis* ibi comprehendendi, quia illa etiam constitutio non respicit principaliter solennitatem voti, sed stabilitatem religiosi status, & quæcûq; personarum regularium. Vnde (quod notandum est) idem significare videntur in illo cap. *ingressus religionem, & professi*, quia clarum est non esse fibis internum, sed ad ipsum redem de ingressu ad novitiatum, sed ad ipsum religiosum statum, hunc enim oportet liberè fieri, & de ne metu: constat autem sub nomine *ingressus religionis* comprehendendi hunc ingressum scholarum: ergo etiam sub nomine *professionis*.

Atque hinc etiam infero, eodem modo in hoc ingressu, sicut in quacunque alia professione, requiri conditionem quartam, nimirum, ut contentus sit præli-

præstitus ad talem actum non fit per dolum, vel ignorantiam, vel deceptionem in re graui extortus. Imò in hoc res certior est, quia hæc conditio non iure positio, sed naturali necessaria est, eo quod talis ignorantia non solum faciat inuoluntarium secundum quid, sicut metus, sed simpliciter causat non voluntarium, vt in superioribus declaratum est: consensus autem voluntatis tam necessarius est in hac incorporatione, sicut in quacunque alia.

VIII. De quinta verò conditione, quæ est libertas à legittima seruitute, nihil hic addere necesse est, quia iam supra lib. 2. cap. 5. nu. 25. vidimus, licet seruitus iure communi impediatur, & non dirimat professionem subsequatam, ex speciali tamen iure Societatis esse impedimentum inhabilitans personam quando seruitus durat.

IX. De matrimonij etiam vinculo, cuius carentia posset, vt sexta conditio postulari, etiam ibidem à numero 22. diximus, quomodo in Societate necessaria sit, etiam ex proprio, & speciali iure illius, & ideo licet hic etiam habere possit locum quæstio, an iura quæ irritant professionem factam ab vno coniuge sine licentia alterius post consummatum matrimonium locum habeant in scholasticis Societatis, tamen hic minus est necessaria, quia ex speciali iure Societatis constat hoc esse impedimentum irritans ingressum, atque adeo inhabilitans personam ad quemcunque gradum Societatis.

X. Imò licet iure communi interdum valeat professio vnus coniugis, sine legitima conuersione alterius, qui licentiam dedit, cum moderationibus in iure expressis, & superiori tomo declaratis: nihilominus in Societate mihi probabilissimum est, nec professionem, neque hanc scholasticam admissionem validam esse, nisi plenè, ac perfectè tollatur illud impedimentum, quoad omnem obligationem redeundi vnquam ad consortium vxoris, vel redeundi debitum, etiam si ipsa petat, quomodo non tollitur plenè hoc impedimentum, nisi cum facultate vxoris, simul concurrat legitima conuersio eius. Hoc autem colligo ex ipso iure Societatis à Pontificibus confirmato. Nam in cap. 2. Examinis absolūtè ponitur vt impedimentum irritans matrimonium consummatum. In cap. verò 3. lit. C. additur declaratio. Nisi adiunctæ conditiones illæ, quæ exiguntur, vt coniugatus religionem ingredi possit. Et in 1. p. Conflit. cap. 3. lit. F. apertius declaratur, tunc hoc definire esse impedimentum, quando à coniuge facultas concederetur, seruatis aliis circumstantiis quæ iuxta sanam doctrinam, & vsum sanctæ Ecclesiæ solent obseruari. Non ergo tollitur impedimentum per solam facultatem coniugis, nisi concurrant aliæ circumstantiæ, quæ omnino liberam, & expeditam relinquunt personam, ad sumendum statum religiosum, & permanendum in illo sine vlla iniuria coniugis, etiam si ipsa postea velit maritum reuocare.

XI. Septimò loco diximus eodem tomo, ad has conditiones pertinere, vt persona professionem emittens in dignitate Episcopali constituta non sit. Circa quam nihil speciale est in Societate institutum, aut declaratum. Certum tamen existimo illud commune ius à fortiori habere locum in hoc ingressu Societatis, quia etiam in professione eius citra omne dubium locum habet: non enim potest Episcopus sine licentia Pontificis professus in Societate fieri: multò ergo minus poterit in quolibet inferiori eius gradu constitui, nec de hoc oportet plura dicere: quia non solum res clara est, verum etiam casus in quo aliud contingat, vel interueniat, videtur moraliter impossibilis: quacunque autem ratione cogitetur, applicari ad illum potest tota doctrina circa professionem illo loco data.

XII. Octaua conditio assignari potest, vt persona non Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

fit ligata professione alterius religionis. Quæ quidem conditio ex iure communi solum procedit de religione, quæ strictior sit in Societate autem ex iure speciali extenditur ad quamcunque religionem, etiam laxiorem: imò non solum ad professionem in illa, sed etiam ad primum ingressum, seu habitus receptionem: nam hoc est vnum ex impedimentis irritantibus ingressum Societatis, & quamcunque incorporationem cum illa, vt in superioribus visum est, lib. 2. c. 1. à n. 16.

Nonò impedire multum solet ingressum religionis, saltem ne liceat, obligatio ad parentes grauius indigentes, & ideo immunitas ab hac obligatione solet etiam inter condiciones ad professionem necessarias numerari. De qua nihil speciale in præfati dicendum occurrit: nam commune ius, & generalis doctrina tom. super. data ad hanc etiam scholasticum nostrorum admissionem applicanda est. Vnde quoad hanc partem non est dubium, quin sub professionis nomine comprehendatur. Ratio est, quia quantum est ex parte sua, ita se tradit, & obligat religioni, & muneribus eius ad diuina obsequia sic religiosus Societatis, sicut quilibet alius professus, quæ traditio, & obligatio ita est iniuriola parenti, sicut qualibet professio, quia ex se ita impedit obsequium eius. Tamen sicut professio facta contra huiusmodi debitum, & obligationem, non est ipso iure nulla, licet illicitè fiat: ita etiam in præfati admissione, & vota scholaris indebitè facta contra eandem obligationem, non sunt irrita ipso facto, quia nullum est positium ius commune, aut proprium Societatis, quo irritentur. Neque etiam ex sola natura rei sequitur talis irritatio, quia vinculum ipsum religiosum non repugnat formaliter, cum illo debito ad parentes, sicut de professione dictum est: est enim in præfati eadem, vel maior ratio, cum hoc vinculum scholasticum Societatis aliquid ex parte minus rigorosum sit. Quapropter ex peculiari instituto Societatis poterit ipsa in simili casu iure, ac merito irritare tale vinculum quod alia religiones non possunt facta professione: quia neque ex intentione sua, neque ex approbatione Pontificum sibi referunt talem facultatem in ipso contractu professionis, sicut referuat Societas in hac scholasticam admissionem. Cum autem facultatem habeat, & illa causa sit valde iusta, præsertim quando debitum ad parentes antecessit ipsam incorporationem, non est dubium, quin licitè possit illam irritare, & scholarem liberum dimittere, vt parentibus inferuiat.

Quin potius quæri potest, an ad hoc etiam teneatur Societatis Prælati? Sed in hoc eandem censo rationem esse de Societate, & de quacunque alia religione, quantum ad obligationem dandi facultatem suis religiosis, iam incorporatis in quocumque gradu, vt parentibus indigentibus subueniant. Nam ius illud, quod sibi Societas referuat ad dimittendum scholarem approbatum ex iusta causa, non inducit specialem obligationem dimittendi illum propter commodum parentum, quia ius illud non ad bonum aliorum, sed ad bonum ipsiusmet religionis ordinatur. Deinde quia vel talis est casus, in quo teneatur Societas facultatem concedere religioso, vt subueniat parentibus necne? Si ad hoc non tenetur, multò minus tenebitur dimittere illum, vt per se constat: si autem ad illud tenetur, considerandum ulterius erit, an retinendo statum religiosum, possit quis illi obligationi satisfacere, alia media, & industriam adhibendo religioni retenta. Et tunc clarum est non teneri Societatem ad dimittendam omnino personam (quicquid sit an possit) quia obligatio illa solum cogit ad necessaria. Loquor autem de obligatione illa ex vi sua, seu ex vi iuris talis parentis: Nam ex parte ipsius Societatis

XIII. Quid de noua conditione, ne grauius seruiant professus parentibus suis.

Societas licet possit dimittere scholarem pro subueniendo parenti grauius agent.

XIV. Non tamen tenetur dimittere vi talis indigentia.

Teneri tamē aliquando

poterit ex vi
sui debiti
regimini.

tatis poterit sepe ad bonam eius conseruationem expedire, potius liberū dimittere scholarem, quam permittere, vt retento habitu, & nomine Societatis, ministerijs, & actionibus vacet, quæ subuentio- ni parentum poterunt esse necessaria, & tunc obli- gari poterit prælati Societatis ad dimittendum subditum, non tam ex iure ipsius subditi, seu parē- tum eius, quam ex vi sui muneris in ordine ad de- bitum regimen Societatis, vel certè ex coniunctio- ne vtriusque: quia non potest alio modo vtrique sa- tisfacere, scilicet parenti, & Societati. Discernere au- tem an hoc vel illud expediat, aut moraliter neces- sarium sit, negotium est prudentiale, & ideo iudi- cio viri prudentis relinquendum est, qui si recta in- tentione, & facta mediocri diligentia morali pro- cedat, practicè coram Deo non errabit.

XV.
In obligatio
ne ex vi
sui indigen-
tia equipa-
rantur pro-
fessu quibus-
vis scholaribus
Societatis.

Distinctio de
indigentia
parentum
ante vel so-
lum post
professionem
filii.

Quando verò in huiusmodi euentu teneatur Societas facultatem concedere subdito, vt paren- ti subueniat, & ipse etiam teneatur illam procura- re, eo quod parenti subuenire obligatus sit, censeo etiam ex generali doctrina superiori tomo data de religionis professis, esse definiendam. Iudico enim quoad hanc partem & scholares in Societate ap- probatos esse æquales quibuscunque religionis pro- fessis, & obligationem Societatis in eadem parte non esse maiorem, quam sit in quacunque religio- ne, propter fundamentum num. 13. & 14. insinua- tum, scilicet, quia & hi religiosi Societatis æquè se tradunt, & moriuntur mundo ex parte sua, ac qui- libet alij professi, & ius illud dimittendi, quod sibi Societas referuat, non est propter alios, sed propter seipsam, suumque commune bonum. Quapropter multum hic referre existimo distinctionem citato tomo datam: considerandum nimirum esse, an ne- cessitas parentis, & actualis obligatio filij antecesserit religiosum statum susceptum, vel postea neces- sitas exorta sit. Nam in hoc posteriori casu multo minor est obligatio tam religiosi, quam religionis, & ideo in illo religiosus Societatis satis erit securus in conscientia explicando religioni necessitatem pa- rentis, & postea obediendo religioni, & sequen- do iudicium eius, quia in eo casu maius sine dubio est ius religionis, & religiosus non potest ipsa inuita, & cum aliquo eius præiudicio, parenti sub- uenire: neque ipsa etiam ad hoc tenetur concedere facultatem cum aliquo præiudicio suo, sed solum poterit obligari ex charitate, quando magnum reli- gionis incommodum non intercedit. At verò in priori casu, quando necessitas præcessit, & durat, multo maior est obligatio tam religiosi, quam reli- gionis. Ad vtrumque potest applicari doctrina sæpius relata: nihil enim hic speciale occurrit, præter id quod annotauimus de facultate peculiari, quam habet Societas ad liberum dimittendum religio- sum in eo euentu.

XVI.
Decima con-
ditio ad pro-
fessionem
quousque loci
habeat in
dictis scho-
laribus.

Decimò inter has conditiones ponitur, vt religio- nem professurus, non sit alijs debitis, aut reddendis rationibus obligatus. Hanc ergo obseruari etiam necesse est in admittendis scholaribus. Societatis: nā quoad hoc etiam eorum vinculum cuiuscunque pro- fessione æquiparatur, vt in proximo puncto expli- catum est: procedit enim hic eadem ratio. Quia ve- rò per hæc vota scholarium Societatis, non statim amittitur omnium bonorum proprietates, licet ita ligetur, vt iam non liceat vti illis, vt propriis: ideo ex hac parte sæpius fieri potest, vt debita minus im- pediant hoc vinculum cum Societate quam profes- sionem. Similiter, quia hæc vota non faciunt inca- pacem hereditatis propter certam spem illius, pos- set aliquando esse licitum hoc vinculum, non ob- stantibus debitis, quando non est licita professio: præsertim si maneat in seculo, nō aliunde sperare- tur facultas soluendi debiti, quā ex tali hereditate, quia tunc non fieret impotentior ad soluendū per

huiusmodi vota. Atque eadem ratione, si quis ha- bens debita propter impotentiam soluendi admi- tatur ad hæc vota, & postea casu eueniat, vt in ali- qua hereditate succedat, tenebitur priora debita soluere: nec Societas poterit illum impedire, quia obligatio non fuit extincta, sed impotentia solum exculabat: quod in Societate multo facilius est, cum ipsa nullum acquirat ius, nec succedat in bonis re- ligiosorum, nisi ei voluntariè donentur. Solutio autem debitorum præferri debet donationi vo- luntariæ, etiam piz. Atque hæc de conditionibus ex parte vouentis.

CAPVT VII.

Que conditiones requirantur ex parte religionis,
vt vota scholarum valide fiant.

QVod attinet ad conditiones requisitas ex parte Religionis, quas iam tomo superiori signa- uimus, & omnes in hac etiam receptione necessariæ sunt, retenta solum differentia in modo acceptan- di traditionem religiosi, & obligandi religionem ipsam. Iam enim supra cap. 1. a numero 6. explica- uimus Societatem in hac receptione scholarium non simpliciter obligari, sed retinere, ac referre sibi potestatem eos dimitendi liberos simpliciter, etiam quoad vinculum, si id expedire consuerit. Nihilominus commune est his votis, & incorpora- tioni scholarium cum quacunque alia professione, vt non possit fieri ab ipso vouente solitarie, aut o- mnino secretè: talia enim vota non sunt vota So- cietatis, neque habebunt vim incorporandi in illa, & consequenter nec religiosum statum constituent. Oportet ergo vt fiant coram aliquo, qui potesta- tem habeat incorporandi in Societate in tali gra- du, & consequenter ad hunc effectum illa acceptet, & ipsam religionem obliget modo debito, & pro- portionato, quem magis in 9. c. declarabimus. Sic ergo acceptatio religionis necessaria in presenti est, ita ex parte religionis necessariae sunt conditiones, quæ in alijs religionibus ad professionem necessa- riæ esse solent.

Prima conditio religionis est, vt sit approbata per Apostolicam Sedem iuxta cap. vltim. de religio- domib. & vnicum eodem tit. in 6. Hanc verò con- ditionem in Societate inueniri satis in superioribus approbatum est. Fuisse autem necessariā, vt talia vota appro- barentur, & valide fieri possint, in ipsius bullis Pon- tificis pro certo supponitur, estque manifestum ex dictis iuribus, vbi omnis noua religio prohibetur, nisi specialiter fuerit a Sede Apostolica approbata, & præcipitur, vt omnis qui in religione conuer- ti voluerit, vnam ex approbatis assumat. Certum est autem, per hæc vota, & receptionem in Societatem, ita aliquem conuertere ad verum statum religiosum: ergo non potuissent habere hanc vim, nisi talis re- ligio fuisset ab Ecclesia approbata. Et ob hanc rem quauis à principio ita fuerit approbata, vt pote- stas recipiendi esset ad certum numerum limitata, id satis iudicatum non fuit, vt plures recipi possent non solum licitè, verum etiam nec validè quoad religiosum statum, & ideo ab eadem Sede Aposto- lica approbatio facta est, & potestas collata abique vlla numeri determinatione.

Secunda conditio necessaria est, vt hæc vota fiant coram illo, qui potestatem habeat admittendi in corpus Societatis, iuxta eiusdem Societatis con- stitutiones. Patet primò ex generali ratione, quia admittere aliquem in membrum alicuius commu- nitatis, est actus potestatis superioris, siue illa pote- stas in tota communitate, siue in capite reideat. Se- cundo id patet ex constitutionibus Societatis nam propter

Propterea statim in i. p. cap. i. agitur de potestate admittendi ad probationem apud quem resideat; & in 5. p. in qua agitur de incorporandis in Societate, statim in c. i. agitur de eo qui talem potestatem habet, & potestas illa dicitur esse penes Præpositum generalem, qui aliis eam communicare potest, prout oportuerit. Et in declaratione liter. B. aduertitur ordinariè communicari Prouincialibus, aliquando verò communicari posse Rectoribus, vel Præpositis, vel aliis personis Societatis, vel alicui etiam extra Societatem, vt Episcopo, vel personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, si alicubi persona Societatis deesset. In hoc tamen aduertendum est, aliud esse loqui de potestate ferendi vltimum iudicium, quasi definitiuum, an aliquis sit recipiendus in hunc gradum Societatis necne? aliud verò de potestate exequendi ipsam receptionem actualiter, aliter de emissioni votorum cum potestate admittendi illa. Quamuis ergo vtraque potestas ordinariè sit in Prouincialibus, tamen regulariter exercent illam quoad primum actum per seipsos; posterioriorem autem superioribus localibus committunt.

Notatio.

IV.

Serranda iudicio.

Non desunt tamen, qui in hac parte etiam, contra Societatem obmurmurent dicentes, potestatem incorporandi religioni, quæ grauissima est, non debere esse in vna sola persona, sed in toto conuentu Prouinciali, vel saltem locali prout in aliis religionibus obseruatur, in quibus licet professio fiat in manibus alicuius Prælati, tamen admissio ad professionem fit à Capitulo, vel saltem de consensu aut consilio ipsius Capituli. In aliquibus enim religionibus admissio fit ad plura suffragia decisa; in aliis verò, vel etiam iure communi (vt iurista volunt) fit ab Abbate præmissio consilio Capituli, ita vt sine illo professio non valeat. In Societate verò neutro modo necessarium est communitatis consilium, vel iudicium, sed totum negotium in vnius hominis potestate constituitur: quod incongruum iudicatur: tum quia cum religiosus ad vitam communem cum omnibus agendam recipiatur, ab omnibus recipi deberet; tum etiam quia facilius contingere potest, vt vnus odio, vel amore moueatur, quam plures, aut vt erret recipiendo indignum, vel dignum repellendo. Et ideo Basilius regula 112. ex brevioribus hanc questionem proponens, conuenientius iudicat, receptionem cum fratribus communicari.

Confirm. ex Basilio.

V.

Dilatatio.

Hæc verò obiectio generalis est de toto regimine Societatis, quod monarchicum est, de quo inferius lib. 10. disputabitur. Nunc breuiter respondetur, constans esse apud Philosophos, & Theologos hunc modum regiminis ex suo genere meliorem esse, paucioribusque incommodis expositum, vt Christus Dominus exemplo suo, in sua Ecclesiæ institutione confirmauit. Cum ergo totius religionis regimen monarchicum sit, necessarium fuit in potestate admittendi eandem formam seruari, quæ re vera, moraliter loquendo, nullis ferè est periculis exposita, & si quæ sunt, & reuera, & particularia sunt, quæ in legibus ferendis non considerantur; cui enim totius Societatis, vel alicuius prouinciæ eius cura committitur, de eius prudentia, ac religione presumi debet, vt etiam facultas admittendi, seu approbandi scholares, ei possit demandari, præsertim cū præmissio grauium, & prudentum virorum consilio id semper faciat, ac facere debeat; atque hoc modo vitantur magna incommoda, & dissensiones, quæ ex varietate iudiciorum, & affectuum in huiusmodi capitulis oriri solet. Basilius autem in dicta regula solum indicat conueniens esse communicari cū fratribus huiusmodi receptionem, vt & oratio aliorum pro aliis vicissim communis sit, & comune inter ipsos sit gaudium, sicut Dominus dixit, in eo qui penitentiam agit conuocandos esse vicinos, &

Explicit.

Basilio.

amicos: itaque non dicit conuocandos esse ad suffragium, sed ad congaudendum de nouo fratre, quod maximè in Societate obseruatur. Et quamuis Basilius de suffragiis loqueretur nihil nobis obstat, quia modum alium recipiendi ad professionem, non improbamus, qui fortasse in aliqua religione poterit esse commodior iuxta modum sui instituti, sed solum asserimus Societatem meritò prædictum modum elegisse supposito modo obedientiæ, & regiminis, quem profertur; & ideo inter alia instituta Societatis, hoc etiam Sedes Apostolica approbavit. Et quamuis Sixtus V. specialem formam recipiendi omnibus religionibus generalem postea instituerit, statim etiam ante declarationem suam, Societatem ab illo onere recipiendi per suffragia Capituli liberauit, quoad hoc etiam tacite hoc institutum approbans; si quid verò aliud ex forma ab ipso alias præscripta in Societate retineri voluit à Gregorio XIV. reuocatum est, qui antiquum morem Societatis circa hoc approbavit, & retineri voluit, cuius verba supra retuli lib. 2. cap. 3. num. 13. in fine.

Tertia, & vltima conditio ex parte admittentis ad professionem erat, vt Prælati nomine religionis liberum consensum adhibeat. Hanc ergo etiam in hac receptione necessariam existimo, quia nulla traditio consummata est, nisi ab altero acceptetur; acceptatio autem non consistit in solis verbis, sed requirit interiore consensum. Dicunt verò aliqui, eo ipso, quod talia vota à Sede Apostolica approbata sunt, per approbationem talis religionis, si publicè fiant coram superiore religionis eiusdem, ab ipsa Ecclesiæ acceptari, vel ab ipso Deo, cui talia vota sunt. Respondetur falsum hoc esse, quia alias, etiam Superior per vim cogere talia vota audire, ipse verò non præberet consensum, neque haberet intentionem admittendi talem personam, nihilominus receptio esset valida, quod apertè falsum est, & incredibile, quia illa præsentia valde materialis est, & seclusa intentione, non habet concursum morale, neque vitur potestate admittendi sibi cōcessa, quia illa potestas etiam est moralis, & ideo non applicatur ad opus, nisi ex intentione operantis. Quare falsum est Ecclesiæ in eo casu admittere illam personam, vel eius vota: quia Ecclesiæ, vel Pontificis non admittit immediatè per se ipsum sed per Societatem: neque hæc admissio fit ipso iure, sed postulat actionem hominis, quæ actio non est sine voluntate, & consensu, sicut seruatur in omnibus contractibus, & actionibus moralibus. Neque enim solus Deus immediatè acceptat talia vota, sed per Societatem, cui proximè fit traditio talis personæ; & ideo etiam Deus illam non acceptat nisi per Societatem; vota autem sunt veluti annexa huic traditioni, & ideo cum illa acceptantur, & non alias. Quoad hanc ergo partem æquiparatur hæc incorporatio professioni, & quæ de hac diximus hic applicanda sunt.

VI.

Tertia conditio debet etiam admittentem præbere consensum.

VII.

Præter hæc quæ ex parte religiosi, & religionis sunt necessaria, in forma ipsa proficendi, oportet etiam debitum modum obseruare, quod etiam in præfenti seruata proportionem necessarium est, & quæ de professione diximus, etiam in hoc puncto locum habent. Omnia verò sufficienter explebuntur, si forma ad admittendos scholares approbatos præscripta in constitutionibus Societatis p. 5. cap. 4. obseruetur; nam in illa tria vota, & promissio Societatis expresse proferuntur; traditio verò, & acceptatio ipso actu vouendi tali modo, & cum talibus circumstantiis sufficienter significatur, maximè cum in forma vouendi addatur, *Omnia intelligendo iuxta eiusdem Societatis constitutiones.* in quibus satis declaratum est, per hanc actionem incorporari talē personam, huic religioni in tali gradu, quod non fit sine

traditione ex parte vnius, & admissione ex parte alterius. Quod si quis interroget, an omnia, quæ in illa forma continentur, sint de substantia, & valore huius incorporationis. Respondendum est ad tollendum omne dubium optimum consilium esse formam illam integrè seruare; in rigore tamen loquendo, non tota forma verbalis, quæ ibi proponitur, neque omnes circumstantiæ ibidem adhibitæ, videntur esse de substantia, sed solum ea verba, quæ ad exprimenda vota, & promissionem pertinent, sufficienter explicando illa fieri in Societate; nam ad explicandam traditionem, & omnem obligationem hæc sufficiunt. Oportet etiam, vt hoc publicè fiat, ita vt præter eum, qui potestatem admittendi habet, aliqui adsint, quorum testimonio de huiusmodi receptione, & incorporatione constare possit; quod quidem in citato capite 4. liter. D. expresse postulatur. Est et re vera valde necessarium, & omnino seruandum. Non dico autem esse simpliciter de substantia, & de valore actus in foro conscientiæ, quia id neque ex natura rei necessarium est, neque ex communi iure sufficienter colligitur, neque in illo iure speciali Societatis declaratur.

CAPUT VIII.

Utrum in Scholaribus Societatis tacita professio seu incorporatio locum habeat?

I.
Partis affirmatiuæ ratio.

Hæc verò quæstio suboritur, an in hac incorporatione scholarium Societatis, quam tractamus, locum habeat professio, seu incorporatio tacita? Nam illa quæ iuxta prædictam formam fit, expressa est in aliis autem religionibus, quamuis forma expresse profitendi præscripta sit, nihilominus locum habet tacita professio, ergo idem erit in hac incorporatione scholarium, cum ratione substantialis vinculi cum religione, conueniat cum professione; & differentia in solemnitate non videtur ad præsens referre, imò quod vinculum hoc minus solenne est, eo videtur melius posse tacitè fieri. Nihilominus Nauar. Comment. 4. de regularib. num. 76. circa finem, generaliter dicit, in Societate non fieri professionem tacitam; & licet in his verbis, de professione solèni loquatur, in ratione tamen, quam subdit, supponit scholares non posse admitti, & approbari, nisi per formam expressam, sic enim inquit. In illustrissimo Societatis IESV ordine non videtur fieri professio tacita, per solam gestationem habitus, per vnum vel plures annos, quia oportet biennio gestare illum in eo, & biennio expleto, emittere saltem simpliciter tria vota religionis substantialia. Quæ verba intelligenda videntur de emissionem votorum expressa, alias ratio nullius momenti esset, quia si priora vota possent tacitè emitti, cur non sequens professio? Non probat Nauar. assertioem suam aliqua ratione. Potest autem ex peculiari instituto Societatis ita suaderi, quia professio tacita non fit, nisi gestando habitum professorum, vel etiam eorum proprios actus exercendo. c. vidua. c. ex parte. c. statuimus. de regular. & cap. 1. eodem in 6. quod superiori tomo explicatum est. In Societate autem, neque est peculiaris habitus, nec ferè sunt peculiare actus scholarium approbatorum, & ideo non videtur habere locum in hac religione tacita approbatio, seu incorporatio. Aliquando enim nouitij eundem habitum communem cum scholaribus gestantes, studiis vacare permittuntur, & cum iisdem communem vitam agere, & ideo nullum intercedit signum tacitæ incorporationis.

II.
Impugnatur hoc argumentum.

Sed hæc ratio non videtur concludere; nam secundum iura citata, etiam ubi habitus professorum non est distinctus ab habitu nouitiorum, gestatio

habitus religionis, post integrum annum nouitiatu, inducit tacitam professionem; ergo etiam in Societate perseverantia in eodem habitu post biennium nouitiatu, inducit tacitam emissionem votorum, etiam si habitus scholarium, per se non sit distinctus ab habitu nouitiorum. Neque enim refert, quod habitus totius religionis est communis cum habitu honestorum clericorum, tum quia hoc nihil facit, ad distinguendum scholarem à nouitio in tali religione, & ideo satis est gestare illum habitum tanto tempore in tali religione, quatenus illius est; tum etiam, quia licet ille habitus sit communis, semper est aliquo modo appropriatus ad specialem honestatem, & normam religionis, & hoc modo, supponitur gestari vitra biennium. Accedit, quod licet in Societate non sint peculiare actiones propriæ eorum, qui vota emisissent, vt sunt adesse Capitulo, ferre suffragiū, & huiusmodi, semper est aliquo modo diuersus modus viuendi nouitiorum, & aliorum, qui iam sunt membra Societatis, aliterque disperitæ sunt nouitiorum, atque scholarium occupationes; ergo si contingat, aliquem post biennium perseverare in eodem habitu, & admitti ad vitam communem omnino cum scholaribus, cõfendus erit tacitè admitti ad membrum Societatis, & vota eius emisisse.

Quocirca, si solum ius commune consulamus, non video cur hoc genus professionis, vel incorporationis tacitæ, iuxta iuris præsumptionem locum habere in Societate non possit, vt ratio proximè facta suadet. Tamen si considerentur, tum ius proprium Societatis, & institutum diuersum, ab aliis religionibus, tum vsus etiam, ac modus procedendi eius, rectè existimo dictum esse à Nauarro, in hac religione non esse tacitam professionem: id verò in vniuersum accipiendum esse de tacita incorporatione, & regulariter, ac per se intelligendum puto, nam ex accidenti non repugnat aliquando inueniri. Declat. primæ p. 2. & probo singula; nam in primis in Societate, vt prius nouitiatu, non ita est ad biennium limitatum, vt illo finito statim ex lege præscripta incorporationis sit nouitius, sed superioris iudicio committitur, an illud tempus prorogandum sit, vt habetur in Examine c. 1. numero 12. & cap. 4. numero 43. & part. 5. cap. 1. in fine, & ideo perseverantia, vitra biennium, in quocunque genere actionis, non est per se sufficiens signum incorporationis. Secundo, potestas admittendi, non est in particulari conuentu, seu Collegio, sed regulariter est commissa Prouinciali, & ideo donec ipse expresse consentiat, saltem si ablit ab eo loco Prouincialis, cum dici tunc non possit, eo sciente, & consentiente, fieri tacitam admissionem, non censetur quis incorporatus, etiam si diutius permaneat. Tertiò in Societate sunt varij gradus post nouitiatum, & ideo oportet determinari, ad quem illorum admittatur nouitius, quod per solam tacitam admissionem non rectè fit. Nam licet ordinarie admittatur prius nouitius ad gradum scholarium, tamen ille ordo non est per se necessarius, sed aliquando potest statim ad alium gradum admitti, vt ex citatis Constitutionibus constat, & ideo per se necessaria est expressa admittentis determinatio.

Iam verò in Societate consuetudo est, vt scholares approbati, sexto quoque mense, vota sua expresse renouent eadem forma, qua in principio illa emisissent, ad quem actum cum eis efficiendum, nullus admittitur, qui prius expresse incorporatus non fuerit, iuxta cap. 4. p. 4. Constit. §. 5. licet alias possint nouitij priuatum vota emittere, & renouare si velint, iuxta cap. 4. p. 5. Constit. Ergo quamdiu nouitius non admittitur ad vota, cum scholaribus reuocanda publicè, & coram superiore, vel alio, qui vicem eius teneat, non censetur, nec tacitè, nec expresse

expresse admissus in corpus Societatis. Si autem ad illum actum admittatur, cum prius vota expresse non emisisset, ex tunc censetur incorporatus, non tacite, sed expresse, & respectu illius illa non erit renouatio, sed noua emissio, & admissio; si tamen ad illius valorem conditiones necessariae lib. 2. c. 1. positae concurrant, alioqui nihil fiat. Tandem ob has fortè causas, hæc est Societatis consuetudo, quæ plurimum valet, maximè in his, quæ consistunt in præsumptione, & interioris animi significatione per facta, nam si iuxta consuetudinem tale factum non habet talem significationem, cessat præsumptio, ita verò est in Societate: nam licet quis, ultra biennium, per plures dies, vel menses, in Societate viuatur, nunquam censetur in corpus admissus, donec expresse iuxta formam consuetam voueat; ergo signum est non esse in Societate tacitam incorporationem.

Ex inform.

V. Dixi autem *per se, ac regulariter*, quia interdum ex accidente, videtur hoc posse contingere; præsertim quando præcessit expressa admissio, quæ ex defectu alicuius conditionis fuit nulla, ut si quis v. g. ante expletum 16. annum ætatis vota scholarium, emitat; tunc enim nulla est incorporatio iuxta decretum Concil. Trident. prout supra in cap. 6. à num. 3. à nobis explicatum est. In huiusmodi ergo euentu censo defectum illum posse suppleri per tacitam incorporationem eo modo, quo in tom. super. diximus, suppleri in aliis religionibus similem defectum per tacitam professionem, dummodo ex parte proficentis sufficiens scientia, & voluntas concurrat, quod etiam in præsentem necessarium est ob eandem causam. Ratio autem est, quia in eo casu iam præcessit sufficiens admissio, seu professio exterior, & ex parte religionis, intercessit consensus de se sufficiens, & satis explicatus, qui licet tunc non habuerit effectum propter impedimentum subiecti, de se semper permanet, quamdiu non retractatur, & ideo statim ac impedimentum tollitur, per complementum ætatis, incipit habere effectum, si religiosus ipse semel consentiat. Huius autem consensus sufficiens signum præbet, in eodem statu vitæ perseuerando, post completam ætatem; & tunc dico fieri tacitam incorporationem, quamuis non sit omnino pura, aliquid enim participat ab expressa, quæ præcessit. Atque hoc quidem maximè locum habet in foro conscientie; quando reuera talis persona rata habuit superiora vota; nam si re vera non consensit, exterior præsumptio nihil refert ad conscientie forum.

VI. Quoad externum autem forum censo habere quid quoad in eo casu locum legem statutam à Concilio Tridentino, ut intra quinquennium, & non ultra, audiatur religiosus, qui prætereire voluerit professionem suam fuisse nullam; nam sub professione ibi hanc incorporationem comprehendit citato tom. ostendimus; & ideo dubium non est, quin ante quinquennium transactum, audiendus sit quilibet de Societate, qui hanc nullitatem velit prætereire, quia nulla est ratio cur repellatur, maximè, quia quoad hanc partem, Concilium non dat nouum ius, sed solum non auferit antiquum. At verò in altera parte, quod post quinquennium non audiatur, dubitari posset, si in Societate nunquam haberet socium incorporationis tacita. Ego tamen sine dubio existimo hanc partem seruandam esse in Societate; quia nec Concil. Trid. neque aliud ius commune, excludit per aliquod ius expressum ipsius Societatis; & coniectura in priori puncto adducta, licet vim habeant quoad primam emissionem, cessant tamè in ratificatione eius emissionis, quæ præcessit, ut facile consideranti constabit, & ideo non dubito, quin in foro exteriori supponendus sit potius, quam iu-

dicandus verus religiosus, qui tanto tempore in Societate, & in tali eius gradu, perseuerauerit; nisi aliunde vel ignorantia prioris defectus, vel impotentia petendi antea ius suum, sufficienter probetur, sicut de aliis religionibus diximus eodem tomo. In hoc enim nullam constituo differentiam, neque arbitror Nauar. contrarium sensisse, quia non de ratificatione, sed absolute de professione, & emissionem votorum locutus est.

Atque hinc tandem obiter intelligi potest, an hæc vota scholarium, aliquando possint esse nulla, & quomodo reuolidari possint; nam in hoc, idè sentiendum est de hoc vinculo, quod de professione, vt in allegato tomo declarauimus. Considerandæ enim sunt conditiones necessariae ad valorem huiusmodi actus, quæ iam explicatæ sunt; nam ex defectu cuiuscunque illarum erit nullus talis actus; quia sicut ad valorem requiruntur omnes simul conditiones, ita ad nullitatem sufficit cuiuscunque defectus. Deinde addendum est, quoties actus ipse incorporandi nullus est, etiam omnia vota esse nulla, *per se* loquendo, quia solum sunt annexa tali actui, & vt in tali religione seruanda. Dico autem *per se*, quia interdum ex iure positio, relinqui potest obligatio seruandi aliquod votum, v. g. castitatis, vt de coniuge sine licentia alterius coniugis professio, iura statuunt, quæ in his etiam religionis Societatis locum habere opinor; quia iura generatim, de assumptione status religiosi loquuntur, vt patet ex c. placet, cum similibus de conuers. coniugat. Hæc ergo omnia, & similia, seruata proportionem, in hoc statu Societatis, locum habent. Et eadem ratione in reuolidando actu, si nullus fuerit, eadem seruanda sunt, quæ in professione nulla reuolidanda iuxta dicta in præcedenti tomo, ac etiam proximo superiori puncto.

VII. Quando na scholarium Societatis admissio inuolida sit, & quomodo reuolidetur?

C A P V T IX.

Quibus modis possint dissolui vota scholarium Societatis.

DE causis concurrentibus, ac necessariis ad hoc vinculum perficiendum sufficienter in superioribus capitibus dictum est, de effectibus etiam eius, non est visa necessaria specialis quæstio, quia à capite tertio per necessariam occasionem omnes explicati sunt, & sub hac generali regula comprehendendi possunt, habere scilicet hoc vinculum omnes effectus, quos habet religiosa professio, his exceptis, quæ specialiter ex solennitate ipsa votorum oriuntur, de quibus etiam quatenus ad singula vota pertinere possunt, in libro sequenti dicemus. Solum igitur superest, vt de indissolubilitate huius vinculi, & modis, quibus auferri potest, dicamus. Duobus autem vel tribus modis, potest tale vinculum, sicut & obligatio voti auferri, commutatione, dispensatione, & irritatione.

De Commutatione.

De hoc primo modo nulla est difficultas, quia si commutatio fiat in melius, vel æquale, non tollitur vinculum status religiosi, sed vnum mutatur in aliud, quod certum est etiam in professione solenni non repugnare; solum oportet illud obseruare, quod iure Pontificio circa hoc statutum, & declaratum est, scilicet, nec licet, nec valide posse fieri talem commutationem ab hoc statu, & gradu Societatis propria autoritate, sed necessariam esse Pontificis dispensationem, vt cap. 4. satis dictum est. Vnde à fortiori constat, magis esse necessariam, vt commutatio fiat in laxiorem statum, etiam si ille religiosus sit. Si autem fiat in quemcunque statum non

I. De statu scholarium Societatis sit commutatio valida ad quamcunque aliam religionem absque P. a. licentia.

non religiosum, vt v.g. in statum clerici, vel continentis secularis, illa potius reputabitur dispensatio simpliciter, vel eadem erit de illa ratio; & ideo de commutatione nihil amplius dicere necesse est.

De Dispensatione.

II.
*Resolutio
vera, dispen
satio posse
scholarium
societatis
vita.*

Venio ad dispensationem, de qua omnes moderni, qui post bullas praesertim Gregorij XIII. de his votis verbo, aut manu scriptis, potius quam libris disputarunt, pro certo supponere videntur, hoc vinculum, & vota posse auferri per dispensationem, quod sentiunt etiam illi, qui putant votum professionis esse indispensabile: quia cum videant hoc vinculum saepe auferri, inde inferunt posse etiam dispensari. Quin potius modernus ille, cuius meminimus in cap. 3. & contra quem Gregor. XIII. definiuit, dixit haec vota, atque adeo totum hoc vinculum per Episcopum dispensari posse. Veruntamen illatio illa formalis, & efficax non est; nam saepe votum potest ab aliquo irritari, a quo non potest dispensari, vt per se constat in parente, marito, &c. ergo eadem ratione non repugnat aliquid votum esse irritabile, & non esse dispensabile. Ratio autem a priori est, quia votum est irritabile ex aliqua intrinseca conditione, quam includit, ratione cuius pendet a voluntate alterius; & ideo non est necessaria specialis potestas iurisdictionis ad irritandum illud, sed solum quod conditio inclusa pendeat ex alterius voluntate: dispensabile autem est votum, per potestatem extrinsecam dispensantis, quam oportet esse diuinam, seu a diuina participatam. Potest ergo votum esse irritabile propter conditionem inclusam, & nihilominus stante conditione non esse dispensabile per hominem, si non constet, habere a Deo talem potestatem participatam. Posset ergo aliquis ita sentire de his votis, quamdiu scilicet non irritantur, indispensabilia esse: sicut multi asseruerunt, votum simplex castitatis non esse dispensabile, posse tamen irritari a Papa, quia includit hanc conditionem, nisi Pontifex aliud iusserit, vel iudicauerit. Quae sententia licet quoad factum falsa sit, non tamen impossibilis. Cum ergo in his votis Societatis constet de conditione inclusa, erunt irritabilia: vnde verò constet per potestatem superioris Societatis esse dispensabilia hoc inquirimus: nam quod dispensabilia sint a Sede Apostolica, negare non possumus, id enim expresse asserit Gregor. XIII. in Constitut. *Ascendente Domino*, vbi non sine mysterio distinguit inter verbum *dispensari*, & verbum *cauari*. Et dicit talia vota per solam Apostolicam Sedem dispensari posse, cauari autem posse per solam dimissionem a Societate. Ratio ergo cur dispensari possint, querenda est.

III.
Aliorum ratio sumpta, ex differentia solennitatis votorum a non solennibus impugnat.

Profectò, qui sentiunt professionem esse indispensabilem, nullam efficacem rationem ad hoc asserre possunt; nam si quod est probabile fundamentum illius sententiae, maximè illud est, quod licet Deus dederit Pontifici potestatem ad dispensandum in promissionibus sibi factis, non tamen in traditione. At haec ratio etiam in hoc vinculo locum habet, quia per veram etiam traditionem contrahitur, vt Gregor. Pontifex declarauit. Dices esse differentiam inter has traditiones: nam in professione est omnino absoluta, cum reciproca obligatione simpliciter ex parte religionis: in hoc autem vinculo traditio includit conditionem, & libertatem ex parte religionis. Sed contra, nam esto hoc ita sit, nihilominus vtraque traditio extra ordinem promissionum constituitur, & sub genere traditionis collocatur: ergo si Christus solum dedit potestatem ad dispensandum in promissionibus Deo factis, nulla ex illis traditionibus dispensari potest. Quod si non dedit tantum ad promissionem, sed etiam ad aliquam

traditionem, quo fundamento dici potest iure diuino factam esse, quoad hoc distinctionem inter illa duo genera traditionum; aut vbi taleius diuinum ostendi potest; ergo si vna traditio indispensabilis dicitur, satis probabili, & consequenter ratione, eadem dicitur de altera. Eo vel maximè, quia donatio alicui facta sub hac tantum conditione, videtur *quandiu ipse voluerit*, profectò satis firma est & absoluta, vt stante voluntate retinendi talem rem, non possit illa priuari sine iniustitia; ergo si ob hanc causam traditio absolute facta in religione dicitur indispensabilis, eadem ratione traditio haec, *quandiu religio voluerit retinere religiosum*, erit indispensabilis. Quod etiam illud confirmat, quod conditionalis posita conditione transit in absolutum; ergo similiter traditio includens conditionem non minus firma est, & indispensabilis, quam traditio absoluta. Tandem quia sicut vna traditio quantum ad communem rationem religiosi status, est de iure diuino, ita & alia: & sicut vna quoad modum determinata est, & approbata per Ecclesiam, ita & altera: & vtraque etiam constituit hominem verè, ac propriè religiosum, & dicatum Deo. Est ergo vtriusque vel eadem ratio, vel adeo similis seu propinqua, vt cum fundamento non possit de vna affirmari, quod de altera negatur.

Vt ergo cum solido fundamento asseramus, (vt reuera asserendum est,) hoc vinculum posse per dispensationem auferri, ab ipsa professione solennifundum est argumentum; nam Pontifex potest in illo dispensare, vt tom. super. ostendi; ergo & in hoc vinculo. Item fundanda est assertio in illo principio, quod vniuersalis potestas Pontifici data ad soluendum non solum includit potestatem dispensandi in promissionibus Deo factis, sed etiam in traditionibus, seu in personis Deo traditis, eo modo quo in homine locum Dei tenent, vel religionis, potest fieri traditio. Quod etiam principium satis eo loco ostensum est: nec video, ex quo alio principio magis proprio, & speciali, hoc probari possit, si cum fundamento loquendum sit. Quae omnia adnotauerim, vt intelligatur quoad potestatem dispensandi, eandem omnino esse rationem de hoc vinculo, & de quacunque professione religiosa.

Ex quo infero primò, rationem a priori, cur Episcopus, vel quicunque Praelatus inferior Pontifici, nec non possit in hoc vinculo dispensare. Hoc enim verum est non solum, quia includit vota referata, castitatis, & religionis, sed etiam illa per se alias reseruata non essent, quia includit veram traditionem religiosam, in qua nullus alius praeter Pontificem dispensare potest. Infero secundo, etiam Societates, vel Praelatos eius non posse hoc vinculum auferre per modum dispensationis, licet possint per viam irritationis: nam haec duae potestates, vt num. 2. dixi, non conuertuntur, & potestas irritandi, in praesentia intrinsecè oritur ex tali modo vouendi: potestas autem dispensandi deberet extrinsecus concedi: nulli autem concessa legitur haec potestas Societati: quia nec per clausulam inuenitur: nec per generalis in bullis Pontificiis inuenitur: nec per generalem, quae Praelato religionis datur, vt possit in votis religiosorum dispensare, quia haec nunquam extenditur ad dispensandum in ipso statu religioso: nam dicitur ad dispensandum in ipso statu religioso: potius, ideo datur ad cetera vota, quia supponitur subiectio per religiosum statum. Vnde nec ad translationem ad religionem laxiorem possunt Praelati religionis iure ordinario dispensare. Generali autem Societatis peculiari indulto Gregor. XIII. anno 1585. in bulla, quae incipit, *Cum alias felix recordationis*, absque vlla restrictione concessit, vt cuiuscumque subiecto suo etiam professo possit licentiam dare transire eundem ad quacunque aliam religionem, etiam laxi-

y. Corollar.
Imo & ipsa
Papa dispen-
satione gra-
uorem cau-
sam postula-
re, quam
pro simplici
causatione
voti in scen-
to.

Minus tamē
grauem quā
pro dispen-
satione in pro-
fessione so-
larium.

VI.
Vna suppo-
sitio: extra
Societatem
nemo potest
irritare vo-
ta scholarium.
Altera sup-
positio: Socie-
tas potest.

VII.
Dubitatur, an
irritatio
valens sine
causa.

laxiorem, de quo iterum lib. 12. c. 2. quod intelligendum est, ex legitima causa ad bonum Societatis, vel ipsius subditi pertinere, ut in eadem bulla significatur, & materia ipsa exigit. Nam cum hac licentia contineat quandam dispositionem in materia voti, rationabilem causam requirit, aliā valida non erit, quamuis minor causa sufficiat; quam ad dispensationem simpliciter. Tertiō infero ex dictis, etiam remanere in effectu Summi Pontificis, grauiorē causam esse necessariam ad dispensandum in his votis Societatis, quam in voto simplici castitatis: quia hic dispensatur in vero ac proprio statu religioso, quod non vnum, sed plura perpetua vota includit: nec sola vota, seu promissiones, sed etiam traditionem, in qua difficilius dispensatur, vt ex superius dictis constat. Non est autem regulariter loquendo necessaria tā grauis causa, vt Pontifex dispense in hoc vinculo, sicut ad dispensandum in professione solenni; quia cum Pontifex habeat circa hoc vinculum, non solum potestatem dispensandi, sed etiam irritandi, tanquā supremus Prælatus religionis, quamuis causa nō sit ad aqua respectu dispensationis, regulariter aliquid conferat ad irritationem, & ideo coniungendo, & quasi miscendo actum vtriusque potestatis, facilius potest hoc vinculum dissolui. Imō eo ipso, quod hoc vinculum non est tam absolutum, sicut professio, videtur esse dispensabile ex minori causa.

De Irritatione.

Tertiō loco dicendum superest de irritatione, de qua duo sunt certa. Primum est, potestatem irritandi hoc vinculum apud neminem esse extra Societatem, quod per se notum est, supponendo dictionem exclusiuam in hac materia non excludere Summū Pontificem, cum sit supremus Prælatus, vt saepe dictum est. Secundum est, Societatem habere hanc potestatem. Hoc constat ex bullis Pontificis, in quibus declaratur, hanc vota scholarium, (& idem est de Coadiutoribus etiam formatis) fieri sub ea conditione, vt eis non obstantibus, personae possint liberè dimitti, quam dimissionem, irritationem nūc appellamus: quia per eam tollitur vinculum, & votum, quasi per subtractionem materiae, quia definit esse conditio, sub qua tantum obligabat. Et de hac potestate dimittendi sermo est in 2. p. Constit. Societatis, c. 1. & dicitur primariō esse in tota Societate, quando in congregatione generali coacta fuerit, alioqui iure ordinario esse in Praeposito Generali; in aliis verò inferioribus Praepositis prout ab ipso communicata fuerit. Est tamen aduertendum, in Societate non solum esse potestatem dimittendi inferiora membra, sed etiam solenniter professos, & in aliquo raro casu, etiam ipsum Praepositum Generalem, vt in 3. p. Constit. dicitur c. 4. §. 7. Et declaratur in 2. c. 1. litera A. & C. & in c. 13. litera A. Est tamē differentia, quod professi non possunt liberi dimitti, & ideo ea dimissio non continet irritationē vinculi, sed solum reparationem ad coetum, & conuictum Societatis, sicut etiam possunt dimitti professi aliarum religionum, vt supra tract. 8. dictum est. Alij verò in inferioribus gradibus constituti, praesertimque scholares approbati, liberi, & absque vinculo religioso dimitti possunt, & hanc vocamus potestatem irritandi talia vota.

Hic ergo positus, difficultas praecipua huius puncti est, An talis irritatio requirat causam iustam, & proportionatam, vt valide fiat. Quidam enim sentiunt, quamuis Societas non debeat, nec licitè possit, ratione suarum constitutionum, quemquam sic dimittere liberum sine causa iusta in eisdem constitutionibus assignata p. 2. c. 2. Nihilominus si id faciat factum tenere, ac personam illam omnino liberam, & voto solum dimitti. Fundamentum est primò,

quia omne votum factum cum dependentia à voluntate alterius, vel sub conditione si alius voluerit, fit irritum, seu tollitur eo ipso, quod alter non vult, etiam si ille pro solo arbitrio sine alia causa nolit. Exempla sunt, si quis vult ingredi religionem; si pater voluerit, nam patre nolente ex quacunque ratione cessat votum, quia conditio non existit. Vel si absolute vult ingredi religionem, & Prælatus eum non velit recipere, siue licitè, siue illicitè, alter manet liber. Sed omnia vota non solennia Societatis, sunt sub simili conditione, scilicet, si Societas eos tenere volet, vt explicatur in Examine c. 7. §. 1. & 2. & clarius 5. p. Constit. c. 4. liter. B. & D. vbi etiam additur, licet vouentes quod in ipsis est, se obligent in perpetuum, liberum tamen esse Societati eos dimittere; ergo eo ipso quod Societas, seu Prælatus habens in ea potestatem, aliquem retinere non vult, desinit obligare vota eius, etiam si absque iusta Prælatus nolit. Quod enim alterius voluntati relinquitur, nullam causam requirit.

Et confirmatur, quia ob hanc rationem, vt irritatio voti valeat, nulla causa necessaria est, vt supra vidimus, quia nimirum in voto subditi inuoluitur conditio, si Prælatus consenserit. Diximus autem hanc esse quandam irritationem votorum, ergo nullam requirit causam, vt valida sit. Confirmatur secundò, quia ex his votis, seu traditione scholaris approbati in Societate, nulla obligatio redundat in Societatem ipsam, sed tota se tenet ex parte religiosi, ipsa verò religio tam libera manet sicut antea, quantum est ex vi contractus; ergo si sua libera potestate vratur, ex quacunque causa validus erit actus, etiam si aliā illicitus sit; sicut si absque causa Prælatus recipiat indignum, & in eo peccet malè vtendo suo munere, nihilominus tamen receptio valida est; vel sicut dominus manumittens seruum, qui se voluntariè ei se tradiderat, & obligauerat, valide manumittit, etiam si absque causa faciat, & in ea re peccet, vel ex odio, aut ingratitude, &c. quia contra iustitiam non agit; hoc autem exemplo hunc contractum Societatis supra declarauimus c. 3. num. 10. Tandem confirmatur, quia si ad valorem huius dimissionis esset necessaria causa, res esset multis scrupulis, & dubitationibus exposita, imò ex illa nasci possent lites, & contentiones externae inter religiosum dimissum, & Societatem. Ob hanc ergo causam quamuis in vfu huius facultatis ex reuerentia, & honestate religionis causa, & hac quidem magna, semper expectanda sit, nihilominus ad tollenda dubia, oportuit Societatem plenam libertatem retinere, vt de valore facti nulla posset esse controuersia.

Alij verò hanc sententiam distinctione quadam moderandam existimant, vt scilicet procedat, quando dimissus voluntariè acceptat dimissionem, & libertatem, non verò si inuitus & sine causa expellatur. Ratio prioris partis praeter fundamenta superioris sententiae est, quia tunc cessat omnis iniuria personae dimissae, quia volenti & consentienti non fit iniuria, & ideo cessat omnis causa nullitatis, quae in eo actu esse posset. Vnde faciliè intelligitur ratio posterioris partis; nam qui inuitus sine causa repellitur, magnam patitur iniuriam, vt statim ostendimus.

Mihi verò simpliciter, & absque distinctione dicendum videtur, ad dimissionem huiusmodi sine causa factam esse nullam, censeoque conditionem illā, si Societas eum tenere volet, non esse intelligendam de mera, ac pura voluntate, suo absoluto dominio, & arbitrariū volente, sed de voluntate, quae prudenti arbitrio, & ex iusta causa vult, aut nō vult. Hoc primum probo ex verbis constitutionum, nam in Examine cap. 7. §. 1. sic dicitur. *Liberam tamen manebis Societas, nec sentietur ad eos admissendos ad professionem,*

nisi

VIII.

IX.

X.

nec in Coadiutores formatos, si studiorum tempore male se gererent, adeo ut Superior Societatis existimaret, Deo gra- tum non fore, si in eam admitterentur: & tunc ipsi etiam sua vota solui erunt. In quibus verbis expendo in primis illam conditionem, si studiorum tempore, &c. Et inde colligo illam esse necessariam, vt Societas non teneatur hos religiosos retinere, ergo nō subsistente tali causa, tenetur. Dicitur fortasse teneri ex vi suarum constitutionum, non ex vi contractus. Sed hoc non placet, vt infra numer. 18. latius dicam: tum quia obligatio constitutionis cum non sit ad culpam, minima est pro re tam graui: tum etiam quia verbum *tenebitur*, indicat præcisam obligationem fundatam in natura ipsius rei, & non in sola constitutione: maximè cum nulla ibi mentio fiat constitutionum, & examen illud eas antecedit. Deinde expendo verba illa. Et tunc ipsi etiam sua vota soluturi sunt. habent enim vim exclusiue, ac si dicerent, tunc, & non aliàs soluti erunt. Nam si verè solui possunt, quomodocumque dimittantur, non oportuisset addere illam particulam restrictiuā *tunc*, quia vel sic, vel aliter dimissi & tunc, & semper soluti essent.

XI.
Instatur con-
tra proba-
tionem ex
loco exami-
nis factam.

Diluitur ex-
plicando
causas di-
missionis
antecedentes
admissi-
onem.

Dices, hoc argumento probaretur illam causam ibi assignatam esse vnicam, & necessariam, sine qua dimissio non teneret, nec solueret ligatum; quia ponderationes factæ si solidæ sunt, hanc vim habent. Consequens autem repugnat eidem capiti statim in §. 2. & cap. 2. 2. partis Constit. vbi aliæ causæ assignantur. Respondeo primum concedendo sequelam, & considerando causam illam formaliter (vt sic dicā) potius quam materialiter & præcisè sistēdo in modo dimittendi, de quo ibi sermo est. Ad quod explicandum aduerto, aliquem dimitti posse ex Societate, vel propter causas antecedentes receptionem eius, vel propter subsequentes, seu intra Societatem datas, aut contractas. In eo igitur capite non agitur de prioribus, sed de his tantum posterioribus, vt patet ex illis verbis, *si studiorum tempore male se gesserint*, & in §. 2. Si quando studiorum tempore, &c. Supponitur enim ibi, alias causas, vel defectus, qui ante receptionem existerent, per alias interogationes in prioribus capitulis eiusdem examinis positas, fuisse detegendas. Et ideo illi defectus nunquā possunt reddere causam iustam expellēdi aliquem, nisi in ipso examine fuerint occulati, vel quacunque ratione non satis cogniti, & postea per experientiam probationum deprehendantur. Et de his causis sermo est in 2. p. Constit. cap. 2. §. 3. ibi. *Tale quid esset si in probationum decursu, aliqua impediētia, vel insignes defectus quos antea in examine accusasset, detegerentur*. Et in §. 5. in illis verbis. *Si detegeretur vinculum matrimonij, vel seruitutis legitimæ, aut es alienum magni momenti, quibus in rebus dum initio examinaretur veritatem subtraheretur*. Additur verò ibi in declaratione liter. B. aliquando non obstante defectu declarato in examine recipi aliquem sub conditione, vt periculum fiat, an decursu temporis ille defectus tollatur, vel illum non impedire, vel reddere personam inutilem ad ministeria Societatis: & tunc clarum est, si defectus dureret, & experimento constet reddere personam inutilem, illam esse iustam causam dimissionis, quia in prædicta conditione, tale pactum virtute includitur, & tunc causa non sumitur ex defectu vt præcessit, vel vt antea cognitum fuit, sed vt durat, & eius grauitas magis innotescit. Vltius verò in eadem declaratione apponitur, licet aliquis absolute & sine vlla conditione recipiatur cum infirma valetudine ab ipso declarata, simpliciter quidem dimitti posse, quamuis magis considerandum sit, an dimitti debeat, necne. Sed hoc ideo dicitur & verum est, quia vt ibidem subiungitur, semper talis receptio fit, sub spe quod talis persona aliunde compensabit corporis debilitatem, eo quod ad res maioris mo-

menti vtilis sit futura: & ideo si per probationes experimento cognoscatur illam spem fuisse vanam, confurgit iusta causa dimissionis, quæ semper requirit nouam cognitionem alicuius defectus præ-existentis, qui si in principio bene cognoscatur, receptionem impedit. Et nihilominus ex suau quadam prouidentia additur, in eo casu magis considerandum esse, an talis persona dimittēda sit, quia cum illa in principio rectè, & fideliter se gesserit, si postea defectus inuoluntariè dureret, seu per eam non staret quominus tollatur, quacunque ratione vtilis esse possit, sine aliquo communi detrimento, retinenda potius est, quam dimittenda; absolute autem dimitti potest si iudicetur expediens. Quod vt maiori cum iustificatione fiat, interrogatur vniuersusque ante ingressum an in tali euentu hoc patienter laturus sit, vt intelligatur, qual lege recipiatur, & si oportuerit, iuri suo renuntiet, & hoc agitur in ca. 7. Exam. §. 2.

Ratio autem seu causa orta post ingressum in Societatem esse potest, vel pertinens ad defectum animæ, vel ad defectum corporis, atque adeo voluntariè, vel inuoluntariè. De priori agitur in cap. 7. admissi Exam. §. 1. hoc enim significant illa verba, *si studiorum tempore male se gererent*, &c. Quæ causa est iustissima, & comprehendit plures particulares, quæ in cap. 2. 2. partis Constit. ponuntur, vt si iudicaretur quis damnum allaturus malo vitæ exemplo, si iniquitatem ostendat, si verbis, aut actibus offendiculum aliis præbeat, si non possit se componere ad vitam ducendam sub obedientia, iuxta modum procedendi Societatis, eo quod nequeat iudicium suum refringere, si denique in affectibus, & vitiis, quæ diuinam offendunt maiestatem, corrigi non possit, etiam publica non sint. In quibus omnibus & quibuscunque similibus, regula in priori loco designata in numer. 10. seruanda est; scilicet defectum hunc talem esse debere, vt eo spectato, Superior prudenter iudicet Deo gratum non esse talem personam in Societate admittere aut retinere; atque ita hæc causa quoad hanc partem tanquam simpliciter necessaria proponitur. Quia verò præter defectum animi potest quis corporis infirmitatem in ipsa Societate contrahere, propter quam nec in literis proficere, neque in Societatis ministerijs vtiliter queat interuire, ideo dubitari non immeritò potest, an hinc sumi possit iusta causa eiectionis? Tamen in 2. p. Constit. c. 2. lit. B. declaratur, in eo casu si ipsemet religiosus contentus non esset, iustum non fore hæc sola causa à Societate dimitti. Ex quo significatur, ex consensu partis posse etiam inde causam iustam inferre quod pertinet etiam ad declarationem dicti c. 7. Exam. §. 2.

Ex quibus omnibus constat in Constitutionibus Societatis semper requiri causam iustam ad hanc dimissionem, & non alio modo, nec maiori libertate referuare sibi Societatem hanc facultatem, & ita explicatur hæc potestas in declaratione c. 6. cap. Exam. vbi sic dicitur. *Nec est iustum, vt pauci in iudicijs Apostolicis, (si Societas liberata, ad eos dimittendos, quando non faciunt quod debent, retineant)* vbi notetur, quando non faciunt quod debent, retineant, quia solū pro simili occasione la restrictio quando, quia solū pro simili occasione libertas retinetur. Vnde in fine additur, *quoniam licet Societatis, & Præpositi Generalis) tantum esse posse dimittere, neque id sine causis iustis fieri debet*. Merito etiam hoc declaratum esse dicitur in indultis Apostolicis. Nam Gregor. XIII. in bulla, *Quantum Probitus* fructus suos de his scholaribus ait, non posse ipsos sine fructibus vicio apostasie Societatem dimittere, *quoniam traditionis illius ex causa iuxta Constitutiones easdem ab ipso Præposito Generali dimitti, & votum huiusmodi liberari possunt*. Atque hoc etiam in Constitutionibus positum, quoniam conditionem illam in Constitutionibus positam, *quandam Societas illos retinere velit*: quam sub his verbis propo-

proponit idem Gregor. in Constitutione, *Ascendente Domino*. Quamvis Præpositus Generalis eos in Societate retinendos esse censuerit. Quæ conditio eodem modo habetur in bulla Iulij III. de confirmatione instituti. ibi. *Pro eo tempore, quo Præpositus Generalis Societatis prædictæ eum in ministerio spirituali, vel temporali videntur iudicaret, asstringeretur*. Et in bulla 4. Pauli III. quæ incipit, *Exponi nobis*, eadem conditio per verbum *iudicandi* explicatur. Est autem regula ad explicandum ius communiter recepta conditionem aliquam relictam ad arbitrium, vel iudicium alicuius præteritum gubernatoris, seu Prælati, intelligendam esse de arbitrio ex prudenti iudicio, & consequenter ex causa rationabili. Quam regulam tradit, variisque iuribus confirmat Bartol. in gloss. in Extrauag. *Ad reprimendum*, quæ habetur circa finem voluminis verbo *videbitur*, & ex eo Panormit. cap. 1. de Constitutionibus. n. 13. & latius in c. 1. de sequere. possess. n. 18. & attingit etiam c. 1. de iudiciis. n. 12. Estque talis interpretatio per sese valde consentanea rationi. Quia quando aliquid committitur iudicio Prælati, vel iudicis, non tantum voluntati, sed etiam potestati eius committitur, potestas autem eius non est ad agendum pro sola voluntate, sed secundum ius, & rationem; tamen quia res in particulari solet esse dubia, ideo eius prudens iudicium postulat, eique committitur. Denique fauent verba Gregorij XIII. in dicta Constitutione, *Ascendente Domino*. ubi de his votis scholarium sic inquit. *Nec ea vlla alio modo, quam per legitimam dimissionem à Societate cessare possunt*. Vbi expendo particulam illam *legitimam*. Non enim potest legitima dimissio appellari, quæ pro mera voluntate sit, sed solum illa, quæ sit ex causa legitima, seu secundum ius, id enim legitimum dicitur, quod secundum legem sit: ait autem Gregor. non alio modo quam per legitimam dimissionem posse hæc vota cessare: ergo si dimissio non fit talis, facta non tenet.

XIV.
Probatur
sententia ratio-
na.

Tandem hæc sententia est valde consentanea rationi naturali, & principiis superius positis de hoc statu. Quod patet, quia hic status, & traditio ex parte religionis, & ex intentione religionis, & Sedis Apostolicæ approbantis eius institutum ad hoc ordinatur, ut habeat omnem stabilitatem, & perpetuitatem quam sine incommodo religionis potest habere; ergo nulla debet relinqui potestas in religionem, vel in aliqua persona ad dirimendum tale vinculum pro sola voluntate. Patet consequentia, tum quia talis potestas repugnat illi firmitati status; parua enim stabilitas est, quæ pro solo arbitrio alterius auerti potest: tum etiam quia potestas repugnat prædictæ intentioni, quia illa non confert ad bonum religionis, vel religionis. Confirmatur, ac declaratur: nam, licet in rigore iustitiæ stando possit aliquis se ipsum obligare, vel donare sine vlla omnino obligatione ex altera parte, sed relinquendo alium omnino liberum, ut pro sola voluntate sua possit obligationem remittere; tamen in præfenti materia, & considerato fine, ac circumstantiis talis status, non videtur hæc esse intentio personarum se tradentium Societati. Quamvis enim sciant posse dimitti, si male se gerant, & quoad hoc consentiant in libertatē, seu potestatem Societatis, tamen persuasum simul habent, quando se tradunt, se non posse dimitti, si recte se gerant, & per eos non flet, & quasi sub hac conditione, quam & ex communi ratione status religionis, & ex propriis Constitutionibus, & bullis Societatis colligere possumus, se tradit; neque in maiorem potestatem Societatis consentiunt; ergo talis dimissio sine causa facta est contra vim, & firmitatem talis vinculi, & vltra potestatem Societati reservatam; non est ergo valida. Tandem confirmatur, quia hæc potestas non est in Prælato Societatis, ut in absoluto Domino, sed ut in dispensatore, &

Franc. Suar. de statu relig. Tom. I V.

gubernatore; ergo non est commissæ puræ voluntati illius, sed dispensanti, & gubernanti ex iusta causa. Dices, licet hoc sit verum de particulari Prælato, tamen in Societate est, tanquam in absoluto Domino. Respondeo in primis hoc parum referre, quia non tota Societas per se ipsam immediatè exercet hunc actum, sed per Prælatum, cui non dominium, sed gubernationem committit; etiam si supremus in Societate ille sit. Deinde falsum est totam etiam Societatem habere absolutum dominium, sed potestatem accommodatam tali statui, & approbationi Pontificum. Eo vel maximè, quod hæc traditio non illi principaliter, sed Deo in ipsa facta est, & ab ipsa nomine eius acceptata, & ideo etiam ipsa se gerit, non ut domina, sed ut dispensatrix respectu Dei. Quapropter nulla ratio patitur, ut pro sola sua voluntate possit rescindere traditionem Deo factam; nec conditio in ea inclusa taliter intellecta rationalis fuisset.

Atque ex his constat, prædictam resolutionem non solum procedere quando quis ita dimittitur inuitus, verum etiam si ipse consentiat, per se loquendo. Ratio est, quia solus consensus religionis non præbet iustam causam electioni. Nam in hoc negotio non attenditur solum ius ipsius religionis cui ipse potest cedere, sed etiam bonum ipsius religionis, & præcipue obligatio facta Deo; & ideo nisi in ordine ad hæc omnia intercedat causa sufficiens, non erit legitima electio. Contingere autem potest, ut ex parte religionis intercedat sufficiens causa, & utilitas ad abscindendum tale membrum, quæ tamen causa non sit sufficiens ex parte religionis, ut inuitus reiiciatur; tunc consensus religionis conducere potest ad hoc, ut electio valeat, & sit iusta, quæ absque tali consensu non esset, non quia præbeat simpliciter iustam causam, sed quia complet illam, vel potius quasi remouet impedimentum, ut causa quæ inerat, possit esse sufficiens. Exemplo declaratur; nam si scholaris laboribus studiorum, vel seruando Societati in aliis ministeriis, salutem corporis ita perdat, ut postea oneri potius, quam utilitati futurus sit religioni, non est hæc causa sufficiens, ut ille inuitus eiiciatur; erit autem sufficiens si ille consentiat; utrumque enim in Constitutionibus ac tadem in Decreto 50. Congregat. 5. n. 3. editionis anni 1616. declaratum vidimus, & merito: nam causa illa respectu habito ad religionem sufficiens est: respectu verò religionis inuoluntarij non sufficit: nam cum ille habeat ius acquisitum in religionem, & per illud non steterit, & seruando religioni vires amiserit, non potest ob eam causam inuitus suo iure priuari. Si autem ipse consentiendo cesserit iuri suo, iam cessat eius iniuria, & ita poterit intuitu religionis iusta dimissio fieri ex tali causa. Dices, quomodo potest religiosus licet consentire suæ electioni, cum se tradiderit, & ex parte sua perpetuè se obligauerit Deo, nec tunc cogatur exire? Respondeo fortasse talem consensum regulariter non esse laudabilem, nisi aliqua magna causa intercedat. Absolutè tamen consensus ille non est per se malus, nec contrarius prioribus votis, quia facta fuere iuxta Constitutiones Societatis, & in eis declaratum est, quod in tali euentu possit consensus præstari. Unde sit conditio in his votis inclusam ita esse intelligendam, ut Societas valeat ex iusta causa dimittere scholarem, vel inuitum, vel saltem consentientem iuxta exigentiam, & proportionem causæ, quæ proportio, & causa partim ex recta ratione, & prudenti arbitrio, partim ex constitutionibus eiusdem religionis sumenda est.

Atque hinc patet responso ad fundamentum primæ sententiæ in n. 7. Nam conditio illa quæ ali-

Pp

quibus

Concluditur
intelligim.

XV.
Causa ad
validum di-
missionem
adeo requi-
ritur, ut sine
illa, nec con-
sensus di-
mittendi
per se suffi-
ciat.
Per accidens
tamen suffi-
ciat.

XVI.
Ad funda-
mentum in
num. 7.

quibus per verbum iudicandi, seu censendi eadem conditio explicatur. Et ideo non sunt similia exempla, quæ ibi asseruntur: nam in voto simplici religionis, quod secundo loco habetur, nulla acceptatio, aut obligatio ex parte religionis interuenit, & ideo æquæ libera manet ad recipiendum, vel non recipiendum hominem, ac si Deo nihil vovisset. Est etiam aliud discrimen, quia aliud est non admittere, aliud eicere iam admissum; nam illud prius consistit in sola negatione, & ideo eo ipso quod actus non fiat necessarius, ipsa priuatio facta tenet, vt sic dicam: quod non ita est in effectu positivo efficiendi, & dissoluedi, quod ligatum est. Vnde fit, vt licet de missis religionem se obligasse ad recipiendum eum, qui simpliciter vouerat eius ingressum, & postea iniuste nolle illum admittere, nihilominus non admissio tenet, & consequenter alius excusatur à transgressionem voti, & si iam fecit quod erat ex parte sua, fieri etiam poterit, vt votum omnino cessauerit: effectio autem si fit iniusta, & ultra limites potestatis, non erit valida, & ideo nec vinculum, nec vota dissoluit. Aliud verò exemplum priori loco positum de voto facto, si pater voluerit, iudicandum est secundum intentionem vouentis: tamen regulariter loquendo illa conditio referri solet ad nudam voluntatem, & ideo exemplum non est simile.

XVII.
Ad primam
confirmat.
num 8.

Ad primam confirmationem ex eo principio sumptam, quod irritatio non requirit causam: Respondetur duplicem esse irrationem, vnā omnino propriam, quæ nascitur ex inefficacia inferioris voluntatis ad se obligandum, nisi cum dependentia à superioris voluntate; & talis irritatio in vniuersum non requirit causam, vt valeat. Alia verò est irritatio minus propria ex parte materis habentis conditionem imbitam dependentem ex alterius voluntate, & de hac irritatione non potest in vniuersum negari quod requirit causam, neque etiam affirmari, sed pro ratione conditionis. Præfens autem irritatio ad hunc posteriorem modum spectat: & ostensum est in n. 13. conditionem implicitam non dicere habitudinem ad nudam voluntatem, sed iustitia accreta ratione regulatam, & ideo talis irritatio causam requirit.

XVIII.
Ad secundam
confir. ibid.
quæ undam
responsio.

Non satisfi

Ad secundam confirmationem multi contendunt in hac incorporatione scholarum Societatis nullū esse contractum, sed solam promissionem, & obligationem Deo factam, ex qua nulla oritur obligatio ex parte religionis, quia ipsa licet acceptet obligationem, non tamen recipit personam, vt eam perpetuo retineat, sed vt probet, sicut alia religiones recipiunt nouitios, vt eos probent; & ideo licet ipsi durante nouitiatu votis se obligent ad permanendum, non tamen propterea obligatur religio ad eos retinendos. Sed hæc sententia mihi nunquam satis probari potuit, tum quia multum derogat veritati, & proprietati status religiosi horum scholarum, dum omnino quoad hoc comparantur nouitiis, qui intra annum probationis tria vota priuata emiserunt. Licet enim aliquo modo conueniant, quod scholares semper sunt in probatione respectu vterioris gradus, multum tamen differunt in statu, & in votis. Nam nouitius licet voueat, non se tradit, nec confert ius religioni; scholaris autem se tradit, & confert ius religioni, quæ speciali potestate à Sede Apostolica data, seu approbata, traditionem, & vota acceptat. Tum etiam quia nimis liberā facultatem attribuit Societati ad dimittendos scholares approbatos: nouitius enim quicquid ipse voverit, si expellatur, etiam sine causā verè expulsi

manet, & ipse etiam relinquatur liber, seu excusatus, quod de scholaribus dici non potest, vt ostendimus, & ideo non rectè æquiparantur. Dico ergo in hac incorporatione interuenire aliquem quali contrarium, ex quo nonnulla obligatio in Societatem redundat, quam non habebat ad eandem personam toto tempore nouitiatus, etiam si fortasse particularia vota in illo emisisset. Hæc autem obligatio non est ad retinendum perpetuo, absolute, & simpliciter, sed ad non dimittendum sine iusta causa. Quæ obligatio est valde rationabilis supposita traditione, quam ipsa Societas acceptat, quæ natura sua postulat hanc saltem immutabilitatem, vt ex neutra parte possit pro sola voluntate dissolui. Et aliunde nihil derogat libertati necessariæ Societati ad suam conseruationem, quia non obstante illa obligatione, retinet potestatem dimittendi liberos, & sine vinculo scholares semel approbatos, quando sibi expedire censuerit, non est ergo cur timeamus hanc obligationem recognoscere, cum perfectionem instituti non impediatur, sed augeatur, & in bullis Pontificiis, ac Constitutionibus magnum reuera habebatur fundamentum, vt n. 11. & 13. ostendimus.

Ad vltimam confirmationem respondetur, simili argumento probari posse, in dispensatione votorum non esse causam requirendam ad valorem eius, vt tollantur scrupuli, & dubia. Non est ergo hoc cunctans modus tollendi scrupulos, sed optimus modus est auferre ignorantiam, & malitiam; nam scrupuli sæpe ex ignorantia oriuntur: dubitationes autem post factum aliquod oriri solent, quia non satis bona fide factum est. Igitur quamuis causā iusta sit necessaria ad valorem huius actus, si tamen prælatus Societatis bona fide procedat, & facta moralis diligentia, ac debita consultatione iudicet expedire talem personam liberam dimittere, & in tali casu rectè vti posse potestatem sibi à Pontificibus concessā, non est dubitandum de valore actus, & ea cessant facile omnes scrupuli, & dubitationes. Imò addo (posset enim in hoc esse nonnulla dubitatio) quod licet post dimissionem intelligatur causam non fuisse tam grauem quantā existimata fuerat, & aliquam deceptionem interuenisse: Si tamē bona fide res acta est, & non temerè, sed prudenter modo, & vt ita dicam, secundum allegata, & probata, id satis esse, vt dimissio teneat, nec postea esse scrupulum ex alterutra parte admittendum, quicquid denuo innotescat. Quia & id sufficit, vt illa dimissio dicatur legitima, & secundum iudicium prudentis viri, quod solum in bullis Pontificiis postulat. Et quia esset magnum morale incommodum, valorem talis actus esse dependentem à noua cognitione, seu notitia quæ postea quocunque tempore haberi potest. At verò si à principio mala fide, vel temerè, ac sine sufficienti probatione seu examine procedatur, nullum inconueniens est, quod ex tali facto possint scrupuli, & dubitationes oriri. Vna verò grauis statim offertur: nam sequitur dimissionem hanc non debuissē committi solis Prælati, nec sine iudiciali forma, & examine faciendum esse. Sed hæc obiectio attingit aliam generalem circa regimen Societatis, de quo in finelib. 10. ex professo disputabimus. Nunc satis fit modum illum præter generales confirmationes instituti in particulari denuo confirmatum esse à Gregor. XIII. in bulla confirmationis instituti.

(.)